QUOMODO DICI POSSIT
TACITUM
FUISSE SUMMUM PINGENDI ARTIFICEM

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

JOSEPH VIANEY

ejusdem Facultatis olim alumnus
in Facultate litterarum Monspeliensi colloquiis praepositus

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCXCVI

QUOMODO DICI POSSIT

TACITUM

FUISSE SUMMUM PINGENDI ARTIFICEM

COLUMBARIIS

Typis PAULI BRODARD.

QUOMODO DICI POSSIT
TACITUM
FUISSE SUMMUM PINGENDI ARTIFICEM

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

JOSEPH VIANEY

ejusdem Facultatis olim alumnus
in Facultate litterarum Monspeliensi colloquiis praepositus

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCXCVI

HENRICO GOELZER

DISCIPLINAE ACCEPTAE MEMOR

HOC OPUSCULUM

D. D. D.

PROOEMIUM

Quamquam nihil ab iis qui de latinis litteris gallice scribunt saepius laudatur quam illud nostri Racine « Tacitus omnium veterum optimus pictor », tamen quid haec vox significet et quo pertineat, mira inter eos dissensio est. Quidam enim Tacitum, dum, Racine auctore, laudant quod inter pictores praestiterit, reipsa laudant quod hominum mores penitus cognoverit. Alii *Annalium* et *Historiarum* locos praecipue admirantur in quibus virorum illustrium indoles summatim definitur et vita breviter judicatur; nec animadvertunt tales locos eo rarius in Taciti operibus apparere quo minus eos qui ante ipsum historiam scripserunt vestigiis sequatur; velut Nisard : « Verisimile est, inquit, Racine, cum Tacitum omnibus antiquitatis pictoribus praetulit, locos meminisse in quibus clarorum virorum effigies adumbrantur; non tam enim veterum artem meliorem reddidit quam novam invenit [1]. »

1. « Racine songeait sans doute aux portraits de Tacite quand il l'a appelé le plus grand peintre de l'antiquité. Ce n'est pas l'art des anciens perfectionné, c'est un art nouveau. » Nisard, *Les quatre grands historiens latins*, p. 282.

Alii, quod nonnullas paludum aut maris species descripserit, illum in eorum numerum adscribunt qui regionum situs depingere solent : « Haud scio an is qui hominum animos acutissime introspexit, inquit Burnouf, idem in regionibus pingendis maxima sit usus et claritate colorum et varietate [1]. » His cum nostrae aetatis scriptoribus potissimum comparandus esse videtur : « Tacitus ad recentium clarissimos propius accedit quam ad veteres, et ad Saint-Simon nostrum quam ad Sallustium aut ad Livium [2] »; illis, potissimum cum Homero : « Quamvis hoc mirum videri possit, tamen Tacitum cum Homero aut La Fontaine aequare non dubitaverim; adeo studet ne minima quaeque, dummodo sint necessaria, omittantur [3]. » Denique, quemadmodum pauci eum cum in lineamentis subtiliter ducendis tum in partibus optime disponendis eminere censent, ita plerumque ob eximium quendam colorum splendorem laudibus extollitur.

Mihi ad hoc opusculum aggredienti est in animo primum ostendere, si possim, Tacitum non solum in clarorum virorum effigie exprimenda, sed in omnibus operis partibus summum fuisse pingendi artificem; nec quemquam exstitisse qui actas et ab oculis remotas res et sub suos et

1. « L'écrivain qui pénétra le plus avant dans les replis du cœur humain est peut-être encore celui qui a trouvé pour peindre le monde physique les couleurs les plus riches et les plus habilement nuancées. » Burnouf, *Œuvres complètes de Tacite traduites en français*, Introduction, p. 12.

2. « Tacite est plus près, dans les portraits, des modernes illustres que des anciens, et de notre Saint-Simon par exemple que de Salluste ou de Tite-Live. » Nisard, *op. laud.*, p. 282.

3. « Quelque étrange que puisse paraître à première vue le rapprochement, Tacite me rappelle Homère ou La Fontaine pour le soin qu'il prend de n'omettre aucun détail essentiel au récit. » Delbœuf, *Promenade à travers les six premiers livres des Annales de Tacite*. Liège, Desoer, 1889, p. 3. (Extrait de la *Revue de l'Instruction publique en Belgique*, vol. XXXII, 1889.)

sub legentium oculos facilius subjiceret; idque ita ejus peculiare fuisse ingenium, ut omnia in quasdam picturas converteret, vel ea quae liceret in picturas non convertere, immo ea quae viderentur non posse converti in picturas. Dein palam facere velim, contra ac sentit major pars, Tacitum non tam iis qui pingunt quam iis qui sculpunt esse cognatum; simul, in quibus rebus describendis potissimum enituerit, exquiram. Post, cum quibusdam et veteribus et recentibus scriptoribus comparabitur, non ut doceamur utrum inter pingendi artifices principatum servare an alicui palmam concedere debeat, sed quo certius fiat, quibus terminis ipsius ingenium saeptum teneatur.

CAPUT PRIMUM

QUAE SIT PRAECIPUA TACITI FACULTAS

Dum La Bruyère affirmat omnem scriptorum artem in eo esse ut bene definiant et bene depingant, suam ipse artem laudat [1]; quod facere solent, quotiescumque de bene scribendo aliquid praecipiunt, ii qui bene scribunt. Itaque ad omnes qui scribunt praeceptum transfert quod solum ad eos spectat qui scribendo depingunt. Est enim boni pictoris et bene definire et bene depingere. Dici autem potest eum bene definire qui res quales sunt aspiciat, et eum bene depingere qui faciat ut quales ipse aspiciat tales a legentibus quoque aspiciantur. Qua facultate neminem unquam exstitisse affirmaverim qui magis quam Tacitus praeditus fuerit : dico eum cunctas praeteriti spectaculi partes sibi cogitatione posse depingere, tamquam ante ejus oculos reipsa positae essent.

1. « Tout le talent d'un auteur consiste à bien définir et à bien peindre. »

I

Tacitum quidquid describat animo cernere, argumento est quod ea verba in ore semper habet quibus ii soli uti possunt qui rebus gerendis interfuerunt. Quemadmodum enim Victor Hugo verbum « vidi » ponere solet, cum dicere cupit sibi aliquid in mentem aut memoriam subito intrasse :

Je vis dans la nuée un clairon monstrueux....
Je vis cette faucheuse : elle était dans un champ....
Un soir dans un chemin *je vis* passer un homme.... [1]

ita Tacitus de camporum, pugnarum, litorum *facie* semper loquitur : « Eadem freto, litori, campis *facies.* » — « Non una pugnae *facies*.... »; cumque significare vult duas res aut similes fuisse aut dissimiles, dicit eas non potuisse *discerni* : « *Neque discerneres* proximos alienos [2]. »

Immo, res ab oculis remotas tam lucide contemplatur, ut cum praeteriti temporis aliquod spectaculum sua arte renovaverit, ipse gaudeat doleat, ira misericordia afficiatur. Unde fit ut saepissime, quod facere solet etiam noster Balzac, narrationem clamore abrumpat. Vix enim Vitellium (ut res exemplis illustretur) ad Gemonias a militibus ductum aspexit cum horrescit et exclamat : « Laniata veste, *foedum spectaculum*, ducebatur, multis increpantibus, nullo inlacrimante. » Nec minus foedum spectaculum

1. Vide L. Mabilleau, *Victor Hugo* (Collection des Grands Écrivains), p. 101.
2. A., I, 70; H., II, 42; A., III, 1.

illi esse videntur iidem milites, dum Romae, quo post Othonem victum superbi penetrarunt, ut quemque fert impetus, per vias errant, et barbarorum more insolenter se gerunt : « Nec minus *saevum spectaculum* erant ipsi, tergis ferarum et ingentibus telis horrentes, cum turbam populi per inscitiam parum vitarent, aut ubi lubrico viae vel occursu alicujus procidissent, ad jurgium, mox ad manus et ferrum transirent. » Cum paulo post ipsum Vitellium, aquilis et copiis circumdatum, Romam curru ingressum esse narrare incipit, magnificum illud agmen statim discernit, miratur, laudat : « *Decora facies* et non Vitellio principe dignus exercitus [1]! »

Quas voces noli putare artis esse, non naturae. Nam spectaculis quae depingit adeo praesens adest Tacitus, ut nihil describat nisi quae rem ex aliquo certo loco aspicienti sub oculos casura erant. Quod tibi compertum erit, si quemadmodum in *Annalibus* tempestas illa qua Germanici classis jactata est narretur, consideraveris : « Ac primo placidum aequor mille navium remis strepere aut velis inpelli; mox atro nubium globo effusa grando, simul

1. H., III, 84; H., II, 88; H., II, 89.

Vide etiam : H., I, 40 : Agebatur huc illuc Galba vario turbae fluctuantis inpulsu, completis undique basilicis ac templis, *lugubri prospectu.*

H., II, 70 : Inde Vitellius Cremonam flexit et spectato munere Caecinae insistere Bedriacensibus campis ac vestigia recentis victoriae lustrare oculis concupivit, *foedum atque atrox spectaculum.*

H., III, 31 : Aspernantem tumentemque [Caecinam] lacrimis fatigant, *extremum malorum*, tot fortissimi viri proditoris opem invocantes.

H., III, 83 : *Saeva ac deformis* urbe tota *facies.*

H., V, 11 : Turres, ubi mons juvisset, in sexagenos pedes, inter devexa in centenos vicenosque attollebantur, *mira specie* ac procul intuentibus pares.

A., XI, 17 : Interim Messalina... componere preces... *tantum inter extrema superbiae gerebat.*

variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen inpedire [1]. » In aliquam romanae classis navem Tacitus se contulit, nec tempestatis quidquam aliud descripsit nisi quod ex hac nave percipere potuit : effundi grandinem, incertos esse fluctus, prospectum adimi, naves non jam posse moveri. Immo verborum ordo cum ordine rerum ita congruit, ut primum esse in caelo nescio quid atri, dein nubes esse collectas, post effundi aliquid, mox grandinem esse quae effundatur, intellegamus. Denique, quia maris impetus remorum usum prohibuit cum maxime grando effusa oculorum aciem praestringeret, ita ut res utraque (tenebras dico et remigii intermissionem) ex utraque causa (grandinem dico et ventum) proficisci videretur, verborum cum dispositione tum sono palam fecit Tacitus utramque in eodem temporis vestigio accidisse : « mox atro nubium globo effusa grando, simul variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen inpedire [2]. »

Sunt igitur quae Tacitus non describat, quia non videt : dico ea quae ex illo loco in quem cogitatione se contulit aspici non poterant : unde concludo eum actas res tam enucleate sibi pingere quam si agendis interfuisset. Adde nunc quod alia sunt quae nec describit nec videt : ea dico quae animadvertere non potuisset quicumque ita aut ita affectus, hac aut illa cura esset sollicitatus; unde concludam eum spectaculis quorum imaginem revocat pariter commoveri atque erant commoti qui iis adfuerunt.

1. A., II, 23.

2. Mihi igitur non videtur legendum esse, ut Aemilio Jacob : « Mox atro nubium globo effusa grando. Simul variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire. »

Quomodo Tacitus noster et Suetonius Vitellii mortem narrent comparemus.

« Extractus e latebra, inquit Suetonius, sciscitantes, quis esset (nam ignorabatur) et ubi esse Vitellium sciret, mendacio elusit; deinde agnitus, rogare non destitit, quasi quaedam de salute Vespasiani dicturus, ut custodiretur interim vel in carcere, donec religatis post terga manibus, injecto cervicibus laqueo, veste discissa seminudus in forum tractus est inter magna rerum verborumque ludibria, *per totum Viae Sacrae spatium*, reducto coma capite, ceu noxii solent, atque etiam mento mucrone gladii subrecto, ut visendam praeberet faciem neve summitteret, *quibusdam stercore et caeno incessentibus*, *aliis incendiarium et patinarium vociferantibus*, *parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante*; erat enim in eo enormis proceritas, facies rubida plerumque ex vinulentia, venter obesus, alterum femur subdebile impulsu olim quadrigae, cum auriganti Gaio ministratorem exhiberet. Tandem ad Gemonias *minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est*[1]. »

« Vitellium, inquit Tacitus, infestis mucronibus coactum modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque rostra aut Galbae occisi locum contueri, postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii jacuerat, propulere. Una vox non degeneris animi excepta, cum tribuno insultanti se tamen imperatorem ejus fuisse respondit; ac deinde ingestis vulneribus *concidit*[2]. »

Haud scio an rem primo aspectu consideranti palma

1. *Vitellius*, XVII.
2. H., III, 85.

Suetonio esse concedenda videatur. Nam Vitellium per totum Viae Sacrae spatium esse cruciatum Tacitus non refert. Nullum verbum facit nec de iis qui imperatorem suum, inermem et religatum, stercore et caeno incessierunt, nec de iis qui incendiarium aut patinarium vocaverunt, nec de pessima ista plebis parte quae corporis vitia exprobrabat. Sed hoc silentium ne miremur. Vehementer enim commotus (ut eum necesse erat atrocissimo spectaculo commoveri), omnia observare non potuit : ad ipsius spectaculi saevitiam animum diligentius intendebat quam ut per quam viam princeps raperetur notare ei liceret; idque ipsum quod ab eo quorundam contumeliae non sunt animadversae mire docet, quomodo ejus oculos ad se converterint personae praecipuae : nonnulli milites Vitellii caput ludibrio habentes et mucronibus cogentes ut erigeret; ipse inter illos, quamvis in eo esset ut periret, adeo ignavus ut nulla alia re sollicitaretur nisi minitantibus illis mucronibus; osque nunc ad injurias, nunc ad tristes imagines libenter offerens *potius quam mentum vulneraret*; maximamque adhibens contentionem, ne corpus flecteret, donec vulneribus, quae sibi ingeri non vidit, *concidit* (quod verbum hoc loco solum esse quod rem depingeret, Suetonius non sensit); denique tam turpiter patiens injuriarum, ut una vox, non altera, quae principis esset digna, ei excideret.

Proponatur nobis aliud exemplum, ut, Tacito et Suetonio iterum inter se collatis, apertius intellegamus, quantum bonus pictor ab eo distet qui maxime miranda quaeque et a ceteris dissimillima curiosius exquirat. « Quo defunctus est die [Germanicus], inquit Suetonius, lapidata sunt templa,

subversae deum arae, Lares a quibusdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expositi. Quin et barbaros ferunt, quibus intestinum quibusque adversus nos bellum esset, velut in domestico communique maerore, consensisse ad indutias; regulos quosdam barbam posuisse et uxorum capita rasisse ad indicium maximi luctus; regum etiam regen et exercitatione venandi et convictu megistanum abstinuisse, quod apud Parthos justiti instar est[1]. » Nihil egit haec narrando Suetonius. Nam dum templa illa lapidata, subversas illas aras, partus illos conjugum expositos, praesertimque reges illos barbam deponentes et uxorum capita radentes, denique infelicem illum regum regem convivis et venatu carere coactum non sine aliquo risu contemplor, omnia illa ad Germanici mortem deplorandam pertinere sum oblitus. Talia referre non pictoris est, sed ejus qui si quid insoliti factum est aucupatur et in tabulas diligenter excipit, unde, cum historiae scribendae tempus venerit, expromantur. Quod si mente in rem praesentem venisset Suetonius, non miratus esset, quam insolenter mortuo Germanico nonnulli dolerent, sed quanto consensu dolor ubique erumperet : « Neque multo post extinguitur, inquit Tacitus, *ingenti luctu* provinciae et circumjacentium populorum; *indoluere* exterae nationes regesque.... At Romae, postquam Germanici valetudo percrebuit cunctaque ut ex longinquo aucta in deterius adferebantur, dolor ira, et erumpebant questus.... Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratuum, ante senatus consultum sumpto justitio

1. *Caligula*, V.

desererentur fora, clauderentur domus. *Passim silentia et gemitus*, nihil compositum in ostentationem; et, quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, *altius animis maerebant*[1]. » Communibus illis verbis « luctu, indoluere, gemitus, maerebant » quod utitur Tacitus, id ipsum testimonio est illum, dum hunc luctum describere aggreditur, inter lugentes reapse se transtulisse et pariter flevisse. Haud aliter, cum Bossuet audientibus depingere voluit, quanta desperatione Palatium perturbatum esset simul atque intonuisset terribile illud « moritur principis uxor », rem cogitatione statim vidit et, dolore, tamquam praesens esset, fere caecatus, non discrevit, quomodo singuli maerorem patefacerent, sed hoc tantum, ubique inesse maeroris signa, animadvertit : « Interim, vulgato morbo illo permiro, ut quisque rem acceperat, *undique* discurrere ad Palatium; *omnia* profligata, praeter morientis animum. *Ubique* clamores, *ubique* dolor, desperatio et mortis species. Rex, regina, regis frater, *omnes* optimates, plebs *omnis*, *omnia* jacere, *omnia* desperare[2]. »

Cunctas igitur spectaculi partes non semper videre, spectaculum bene videntis est[3], sed ita tamen ut plerumque earum rerum quas solas videat vel minima dignoscat :

1. A., II, 72, 82.

2. « Au premier bruit d'un mal si étrange, on accourut à Saint-Cloud *de toutes parts*; on trouve *tout* consterné, excepté le cœur de cette princesse. *Partout* on entend des cris; *partout* on voit la douleur et le désespoir et l'image de la mort. Le roi, la reine, monsieur, *toute* la cour, *tout* le peuple, *tout* est abattu, *tout* est déseperé. »

3. Animadverte ut Musset noster providerit, ne totam pelicani morientis imaginem tibi cogitatione depingeres. De pelicani gutture tumido, de rostro longiore eodemque crasso, de incessu gravissimo omnino tacuit. Sed

Là-dessus, maître Rat.....
Approche de l'écaille, allonge un peu le cou,
Se sent pris comme aux lacs....

Il voit ce corps gisant,..................
Le tourne, le retourne, approche son museau,
Flaire aux passages de l'haleine.

Raton.....
Écarte un peu la cendre et retire les doigts,
Puis les reporte à plusieurs fois,
Tire un marron, puis deux, et puis trois en escroque.

In singulis rerum partibus distinguendis non minus Tacitus excellit quam La Fontaine : « Barbari, perfringere stationes seque inferre munitoribus nisi, *lacessunt*, *circumgrediuntur*, *occursant*.... Igitur, orta die, *proruunt fossas*, *injiciunt crates*, *summa valli prensant*, raro super milite et quasi ob metum defixo[1]. »

Ponantur iterum in medium illa de quibus paulo ante disseruimus exempla ex Suetonio et Tacito sumpta. Alter, postquam brevissime narravit Vitellium in Palatium esse regressum, ibi omnia deserta repperisse et in janitoris

fecit ut quidquid esset in eo pulchri, id tantum cerneres : quomodo staret, ut ad caelum oculos adverteret, ut alas panderet :

De son aile pendante abritant sa couvée
Pêcheur mélancolique, il regarde les cieux....
Alors il se soulève, ouvre son aile au vent.

Sed non mihi dicendum fuit « animadverte ut *providerit* »; quae non descripsit Musset, reapse *nec vidit*, *nec videre potuit* : nonne enim divinum illum amorem vehementius admirabatur quam ut in moriente aliud aspiceret quam quae amorem significarent? Argumento est, quod in voracibus illis pullis, qui parentem pro se mori libentissime patiuntur, effecit animi foeditas ut ipsa foeditas corporis notaretur :

Ses petits affamés courent sur le rivage,
En secouant leur bec sur leur goître hideux.

1. A., I, 64-68.

cellulam confugisse, a militibus inde extractum atque ad Gemonias raptum uno ambitu verborum nobis ostendit, in quo diversissima permixte referuntur; nec interea sentis, quo magis cresceret principis ignavia, eo magis vulgi exarsisse insolentiam : « Extractus e latebra,... rogare non destitit, quasi quaedam de salute Vespasiani dicturus, ut custodiretur interim vel in carcere, donec religatis post terga manibus, injecto cervicibus laqueo, veste discissa seminudus in forum tractus est inter magna rerum verborumque ludibria per totum Viae Sacrae spatium, reducto coma capite, ceu noxii solent, atque etiam mento mucrone gladii subrecto, ut visendam praeberet faciem neve summitteret, quibusdam stercore et caeno incessentibus, aliis incendiarium et patinarium vociferantibus, parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante », etc. Alter in hoc supplicio singula discrevit. In Palatium regreditur Vitellius : « In Palatium regreditur vastum desertumque dilapsis etiam infimis servitiorum aut occursum ejus declinantibus. » Quaerentium manus fugere tentat : « Terret solitudo et tacentes loci. Temptat clausa; inhorrescit vacuis ; fessusque misero errore et pudenda latebra sese occultans ab Julio Placido tribuno cohortis protrahitur. » Paratur vel, ut per ludibrium dicimus, *ornatur* ad mortem [1] : « Vinctae pone tergum manus. » Ad locum ubi sumetur supplicium proficiscitur : « Laniata veste, foedum spectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo inlacrimante. » In euntem congeruntur injuriae : « Vitellium infestis mucronibus coactum modo erigere

1. La toilette du condamné.

os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque rostra aut Galbae occisi locum contueri, postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini jacuerat, propulere. » Sumitur supplicium : « Ac deinde ingestis vulneribus concidit. » Interfecto ignavissime insultatur : « Et vulgus eadem pravitate insectabatur interfectum qua foverat viventem [1]. »

II

Non solum rerum quae ab oculis remotae sunt quasi animo videndarum facultate Tacitus eminet, sed haec est ejus praecipua facultas; neque solum is est qui tabulas pingere possit, sed is est quem tabulas pingere delectet. Quam rem non illud optime demonstrat quod describere non omittit quae describi possunt, ut hominis alicujus proceritatem : « Segestes ipse ingens visu... », ut caeli tristitiam : « foedum imbribus diem », ut barbarae classis jucundum aspectum : « lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis juvabantur », ut agminis magnificentiam : « tribuni et primi centuriones candida veste, ceteri.... armis donisque fulgentes », ut funeris splendorem : « funus imaginum pompa maxime inlustre fuit, cum origo Juliae gentis Aeneas omnesque Albanorum reges et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus ceteraeque Claudiorum effigies longo ordine spectarentur [2]. »

1. H., III, 84-85.
2. A., I, 57; H., I, 18; H., V, 23; H., II, 89; A., IV, 9.

Idem multo clarius ex hoc apparet quod Tacitus, ut noster Michelet, omnia depingit, vel ea quae licebat non depingi. Nam alter, cum nos certiores facere vult quam ignavas copias Vitellius Vespasiano opposuerit, statim Germanicas legiones Roma, ubi voluptate liquescebant, exeuntes aspicit, aspectas describit : « Longe alia proficiscentis ex urbe Germanici exercitus *species* : non vigor corporibus, non ardor animis; *lentum et rarum agmen*; *fluxa arma*; *segnes equi*[1]. » Alter, ut compertum habeamus quam difficile fuerit undecimo saeculo Europam percurrere, statim sibi aliquem fingit iter facientem : « Si quis peregrinabatur, quotiens angustae fauces viam coartabant, e monte militem videbat cum canibus et calonibus descendentem; isque portorium aut pugnam petere, sarcinulam scrutari, partem auferre, auferre saepe omnia et ipsum hominem[2]. » Haud aliter, ille, dum nos docere cupit quam egregie Germani natent, nantes videt : « Germanos fluminibus suetos levitas armorum et proceritas corporum attollit[3]. » Hic vix cogitavit, quanta sollertia equites illi a Templo dicti equos regerent, cum « insignibus equis superbe insidentes » cernit, « cum suo quemque armigero, suo calone, ut servos taceam Nigritas[4] ».

1. H., II, 99.

2. « Mais l'Europe féodale, hérissée de châteaux, n'était pas, au XIe siècle, facile à parcourir.... A chaque défilé *on voyait* descendre de la montagne quelque homme d'armes avec ses varlets et ses dogues, qui demandait péage ou bataille; il visitait le petit bagage du voyageur, prenait part, quelquefois prenait tout, et l'homme par-dessus. »

3. H., V, 14.

4. « C'étaient d'admirables cavaliers, les rivaux des Mameluks, aussi intelligents, lestes et rapides que la pesante cavalerie féodale était lourde et inerte. *On les voyait partout orgueilleusement chevaucher* sur leurs admirables chevaux arabes, suivis chacun d'un écuyer, d'un servant d'armes, sans compter les esclaves noirs. »

Tacitum pictorum in narrationibus aemulum esse luce clarius est; neque enim res narrat, sed describit. Est enim narrantis facta ab origine repetere et ex ordine, ut quodque evenit, referre. Contra, multa sunt quae Tacitus proponit, non eo ipso tempore quo fiunt, sed postquam ita cum sequentibus conjuncta sunt ut aliquod spectaculum praebeant.

Plutarchus Galbae, Vinio, Pisoni vitam ademptam esse, capita praecisa, post Othoni oblata, ex ordine narrat [1]. Tacitus eos capite truncatos esse, primum tacet, sed ut subito tria illa capita, praefixa contis et juxta aquilam legionis a vociferantibus gestata, nobis *simul* ostendantur : « Praefixa contis capita gestabantur, juxta aquilam legionis, certatim ostentantibus cruentas manus qui occiderant, qui interfuerant, qui vere qui falso ut pulchrum et memorabile facinus jactabant [2]. »

Paulo ante scriptorum alter quae dum Otho imperator salutatur evenerunt singula refert : « Ferunt primos qui eum imperatorem salutarunt haud plures viginti fuisse. Itaque quamvis corporis ignavia et mollities nequaquam ejus animum effeminavisset, sed audax intrepidusque rebus adversis esset, pertimuit, et inceptum omittere voluit. Quod milites non passi sunt, sed nudis gladiis lecticam circumsteterunt et provehi jusserunt dum ipse clamitat de se actum esse et lecticarios ut accelerent fugam hortatur [3]. » Alter haec omnia tibi simul ostendit : « Ibi tres et viginti speculatores consalutatum imperatorem ac paucitate salu-

1. *Galbae vita*, XXV.
2. H., I, 44.
3. *Galbae vita*, XXVII. Theodori Doehner translatione, sed nonnullis verbis mutatis, usus sum : *Plutarchi vitae* editore A. Firmin-Didot.

tantium trepidum et sellae festinanter impositum strictis mucronibus rapiunt [1]. »

Quanta arte Tacitus id temporis momentum eligat quo plurima ante facta in aliquod spectaculum colligantur, mirandum est; idque ex ejusdem narrationis alio loco fiet manifestum. Nam Plutarchus memorat et indignatur senatum in Othonis nomen ante juravisse quam interfectorum senatorum corpora essent sepulta : « Tum quasi alius senatus factus esset, alii dii, senatores jurejurando se in nomen Othonis obstrinxerunt, quod ipse juraverat nec servarat, Caesaremque eum et Augustum appellaverunt, corporibus capite truncatis consulari vestitu adhuc in foro jacentibus [2]. » Tacitus, cum cogitet Othoni e Curia in Capitolium eunti iter esse per forum illud sanguine sparsum : « Otho, inquit, *cruento adhuc foro per stragem jacentium in Capitolium atque inde in Palatium vectus*, concedi corpora sepulturae cremarique permisit [3]. »

Sed facultas illa omnia in quasdam picturas convertendi aliquid habet mali. In quo non hoc maximi momenti est quod iisdem dicendi modis Tacitus paulum abuti cogitur, ut cum bis terve in eadem pagina verbo « donec » nuntiat spectaculi faciem mutari : « Hi molium objectus, hi proximas scaphas scandere; alii vadere in mare... *donec* aspectu armati et minitantis agminis disjecti sunt. Anicetus villam statione circumdat refractaque janua obvios servorum abripit, *donec* ad fores cubiculi veniret [4]. » — « Pars mon-

1. H., I, 27.
2. *Galbae vita*, XXVIII.
3. H., I, 47.
4. A., XIV, 8.

tibus, alii via, alii viam inter Mosellamque flumen tam improvisi adsiluere, ut in cubiculo ac lectulo Cerialis pugnari simul vincique suos audierit, increpans pavorem nuntiantium, *donec* universa clades in oculis fuit... Et cuncta pro hostibus erant, *donec* legio una et vicensima patentiore quam ceterae spatio conglobata sustinuit ruentes, mox inpulit[1] » ; — aut cum per complurium paginarum spatium imperfecta post infinita, infinita post imperfecta longo ordine procedunt : « Ignarus interim Galba et sacris intentus *fatigabat* alieni jam imperii deos, cum adfertur rumor rapi in castra incertum quem senatorem... Universa jam plebs Palatium *implebat* mixtis servitiis et dissono clamore... Refractis Palatii foribus, *ruere* intus ac se Galbae *ostentare*;... nemo *scire* et omnes *adfirmare*... *Strepere* cuncta clamoribus,... nec *deerat* Otho protendens manus adorare vulgus... *Agebatur* huc illuc Galba... Praefixa contis capita *gestabantur*[2]... »

Illud multo magis reprehensione dignum est quod, si quae res ad hoc narrandi genus non sponte omnino se accommodat, Tacitus ei aliquam vim affert, ut quaedam adimat, priora posteriora, posteriora priora reddat, et quae alia alio tempore evenerint ea quasi omnia simul facta sint tradat : « Vexillarius... dereptam Galbae imaginem solo adflixit : eo signo manifesta in Othonem omnium militum studia, desertum fuga populi forum, destricta adversus dubitantes tela[3]. » Quod si Plutarcho fides habenda est, non ita prorsus res gesta est; sed cum

1. H., IV, 77-78.
2. H., I, 29-44.
3. H., I, 41.

Galbae imago solo afflicta est, jamdudum forum a plebe derelictum erat. — At quanti refert? — Minimi, sane. Sed nonne timendum est, ne is qui rerum scriptorem se profiteatur nec in minimis rebus verum laedere dubitet laedat etiam in maximis[1]?

Denique praecipuam Taciti esse rerum videndarum facultatem, etiam ex eo sumetur argumentum quod depingit vel ea quae depingi non posse videntur, ut hominem aliquem a principis amicitia removeri, aut aliquam crescere consuetudinem, aut alia similia. Nam Galbae initium memoria repetenti, quo tempore omnia venibant et nonnulli liberti publica munera addicebant pecunia, ante oculos obversabuntur servorum manus, eaeque senis domum cupide scrutantes, et quantum festinent, mirabitur : « Venalia cuncta, praepotentes liberti, *servorum manus subitis avidae et tamquam apud senem festinantes*[2]. » Memoranti, quo obsequii post Augusti victorias descensum esset, apparebunt Romani principem intuentes dum ejus jussa excipiant : « Omnes, exuta aequalitate, jussa principis *aspectare*[3]. » Exponere cupienti plebis vitam e maris, ut ita dicam, libidine pendere in conspectu positae erunt naves quae Romam frumentum, saepe vehementer exspectatum, devehunt : « Vita populi romani *per incerta maris et tempestatum cotidie volvitur*[4]. » Dux cujus motus praeda tardantur homini illigato similis esse illi videbitur : « Post-

1. Vide Fabia, *Les Sources de Tacite*, p. 30, l. 3; p. 274, l. 17; p. 282, l. 3.
2. H., I, 7.
3. A., I, 4.
4. A., III, 54.

quam deflexit ad maritimos locos et *inligatus praeda stativis castris adhaerebat*[1]. » Lex majestatis, quae, postquam quasi latuit, omnia ad extremum in republica palam confudit atque miscuit, cum incendio, quod primum repressum est, mox arsit cunctaque corripuit, breviter comparabitur : « Haud pigebit referre... ut, quanta Tiberii arte gravissimum exitium inrepserit, dein repressum sit, postremo arserit cunctaque corripuerit, noscatur... [2] »; princeps, cum excelsissima arbore qua omnia circum opacantur : « Eo anno mortem obiit Memmius Regulus, auctoritate, constantia, fama, *in quantum praeumbrante imperatoris fastigio datur, clarus* [3] »; clarissimi viri exitium cum aedificio, cujus ruinis vicinia omnis spargitur : « ... quanto majore mole procideret, plus formidinis in alios dispergebatur [4] ». Denique, ne exemplorum numerus amplior fiat, nihil crebrius laudatum est quam illud *Historiarum* prooemium in quo « qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum fuerit » quaeritur : « Galliae obligatae recenti dono Romanae civitatis... Proximae Germanicis exercitibus Galliarum civitates, non eodem honore habitae... pari dolore commoda aliena ac suas injurias metiebantur... Superior exercitus legatum spernebat... Oriens adhuc inmotus... Duae Mauretaniae, Raetia, Noricum, Thraecia contactu valentiorum agebantur... » Non immerito de provinciarum *mente* Tacitus est locutus; nam quaeque ei, tamquam spirans ac viva esset,

1. A., III, 21.
2. A., I, 73.
3. A., XIV, 47.
4. A., IV, 18.

instructa visa est et corpore quod posset agere et animo qui amare, odisse, irasci, cogitare posset.

Nullam igitur esse historiae partem in qua Tacitus egregium pingendi artificem se non praebuerit, patefecisse nobis videmur. Restat ut quaeramus, quibus potissimum modis res depingat, quas potissimum res suscipiat depingendas.

CAPUT SECUNDUM

QUIBUS POTISSIMUM MODIS TACITUS RES DEPINGAT

I

Taciti artem proximam esse poetis omnes consentiunt. Sed cum ii qui quaerunt, in quo sit ars illa posita, de colorum varietate et splendore loquuntur, nihil omnino nisi vana verba dicere mihi videntur. Etenim, aut haec vox coloris ad scriptores translata nullam vim habet, aut significat eos translationibus et similitudinibus orationem ornare solere. Quas frequentant Michelet et Saint-Simon; apud Tacitum multo rariores apparent.

Non quo longius progredi velim. Nam is est Tacitus qui interdum uno translato verbo toti sententiae colorem addere possit; ut cum de Cassio et Bruto loquitur, qui « praefulgebant eo ipso quod non visebantur », de publica exspectatione, quae « *circumsteterat* Palatium, magni secreti inpatiens », aut de quibusdam, qui in ceterorum fuga « *audaciam pro latebra habebant* », aut de Sabino, qui, cum impedire non posset, quominus quidam ex amicis

a principe vexaretur, « in alieno discrimine sibi pavit » et « ne amicum *adlevasse* videretur *inpulit ruentem* [1] ». Sed tantum abest ut plerumque res ita depingat Tacitus, ut solas ita depingat eas quae, cum non cadant sub sensum, aliter depingi non possint.

Rarius etiam duas res inter se comparat, ut altera illustretur : « Vitellius umbraculis hortorum abditus, *ut ignava animalia*, quibus si cibum suggeras, jacent torpentque, praeterita instantia futura pari oblivione dimiserat [2]. » Mirer si plus quam quinque ejusmodi similitudines ex toto Taciti opere excerpas. Contra, quam multae, quam variae, quam audaces ex Michelet colligi possunt! Sive loquitur de barbaris, qui vix inter perpolitos homines traducti sunt, cum dissolvuntur et « quasi liquescunt, *ut nix ante focum* »; sive de Armorica Britannia, « quae nobis saepius elapsa esset, nisi eam *quasi forcipe quadam constrictam teneremus inter quattuor Francas urbes* forti asperoque ingenio, Condivium Namnetum et Aletum Novum, Brivates Portus et Condate Rhedonum »; sive de Normannis, qui circum semianimes errant civitates, « *ut vultures* qui suspensis alis volitant super morientem qui cadaver pollicetur »; sive de Batavorum opimis campis urbibusque artificum plenis, in quibus « *homines ut bestiolae post nimbum scatebant; in quibus formicarum catervis si quis pedem posuerat*, statim infestis hastis egrediebantur quindecim, viginti, triginta hominum milia, omnes fortes et corpore veste armis insignes [3] ».

1. A., III, 76; H., I, 17; H., III, 73; H., II, 63. Vide exempla in ultima primi capitis parte prolata.

2. H., III, 36.

3. « Les Barbares qui se trouvent tout à coup placés dans une civilisa-

Uno similitudinum genere frequentissime Tacitus utitur, quo inter se conferuntur, non binarum rerum consuetae facies, sed singularum rerum, singulorum populorum, singulorum hominum habitus varii. Sic ab eo comparabuntur clamores quibus plebs Othonis caedem poscit cum clamoribus quibus eadem plebs in circo ferarum mortem postulat : « Universa jam plebs Palatium implebat mixtis servitiis et dissono clamore caedem Othonis et conjuratorum exitium poscentium, *ut si* in circo aut theatro ludicrum aliquod postularent » ; studia votaque quibus indignum principem prosequuntur Romani cum studiis votisque quibus iidem Romani ipsum Caesarem prosecuti erant : « *Quasi* dictatorem Caesarem aut imperatorem Augustum prosequerentur, ita studiis votisque certabant » ; terrorem quo Urbs, aegre oppressa nescio qua conjuratione, completur cum terrore quo si capta esset affligeretur : « Postera die, *velut* capta urbe, clausae domus, rarus per vias populus, maesta plebs [1]. »

tion disproportionnée n'en prennent que les jouissances. Il ne faut pas s'étonner qu'ils s'y absorbent et y fondent pour ainsi dire, comme la neige devant un brasier. »

« C'est la vraie Bretagne, pays devenu tout étranger au nôtre, et qui nous aurait échappé plus d'une fois, si nous ne le tenions serré, comme dans des pinces et des tenailles, entre quatre villes françaises d'un génie rude et fort : Nantes et Saint-Malo, Rennes et Brest. »

« Ainsi rôdent déjà autour de l'empire [de Charlemagne] les flottes danoises, grecques et sarrasines, comme le vautour plane sur un mourant qui promet un cadavre. »

« Dans l'épais limon de ces riches plaines, dans ces vastes et sombres communes industrielles d'Ypres, de Gand, de Bruges, les hommes grouillaient comme les insectes après l'orage. Il ne fallait pas mettre le pied sur ces fourmilières. Ils en sortaient à l'instant, piques baissées, par quinze, vingt, trente mille hommes, tous forts et bien nourris, bien vêtus, bien armés. »

1. H., I, 32; H., I, 90; H., I, 82. Hoc similitudinum genus cum conjectura quadam semper a Tacito conjungitur :

Esse igitur quaedam apud Tacitum quae ad recentium artem accedant, non negaverim; inveniri permulta posse, non concesserim. Propius enim ad Vergilium accessisse quam ad Saint-Simon, et ad La Fontaine quam ad Michelet mihi videtur, ac potius de lineamentis quam de coloribus laborasse, nec tam curasse, ut verba audacter transferret quam ut propria eligeret et bene disponeret. Nam, nisi fallor, hisce potissimum modis res describere solet.

II

1° Taciti ars primum in verbi cujusque maxime proprii delectu consistit.

Legitur cum in primo *Historiarum* libro, tum in *Galbae vita* seditionem, « parvo initio ortam », « prope urbi excidio fuisse », eamque Othoni, quam male stabilitum esset ejus imperium, patefecisse. Eadem eodem ordine

Confer H., I, 40 : Igitur milites romani, *quasi* Vologesum aut Pacorum avito Arsacidum solio depulsuri ac non imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent... rapidi equis forum inrumpunt.

H., III, 67 : Ferebatur lecticula parvulus filius, *velut* in funebrem pompam.

H., IV, 62 : Silens agmen et *velut* longae exsequiae.

H., III, 23 : Vitelliani adverso lumine conlucentes *velut* ex occulto jaculantibus incauti offerebantur.

H., I, 79 : Sarmatae dispersi cupidine praedae et graves onere sarcinarum et lubrico itinerum adempta equorum pernicitate, *velut* vincti caedebantur.

A., XIV, 30 : Novitate aspectus perculere militem, ut *quasi* haerentibus membris inmobile corpus vulneribus praeberent.

Confer Michelet : « L'armée française [enfoncée dans les terres fortes] resta immobile à leur grand étonnement. Chevaux et chevaliers tous parurent enchantés ou morts dans leurs armures » (Bataille d'Azincourt). « Chacun s'en tint à piller son logis et la chose prit l'ignoble aspect d'un déménagement » (Sac de Dinant)

Plutarchus et Tacitus exsequuntur, sed ita tamen, ut nihil sit illo frigidius, apud hunc autem omnia quasi vivere videantur. Qui praestat igitur alter alteri? Una re, sed maxima, siquidem maximum est communia aliena impropria verba propriis aptis certis rerum vocabulis semper mutare [1].

« Cum Otho, inquit Plutarchus, in coloniam Ostiensem Crispinum misisset qui decimam septimam cohortem deduceret, isque noctu se pararet et arma vehiculis imponeret, ferocissimus quisque militum vociferari coepit. *Crispinum nihil sani meditantem adesse*, senatum res novas agitare, arma contra Caesarem, non pro Caesare parari. Cumque is rumor omnes attingeret atque irritaret, alii currus inhibuerunt, alii centuriones duos et ipsum Crispinum vim prohibentes occiderunt, omnesque ilico sumptis armis et sese mutuo ad ferendam Caesari opem cohortati Romam contenderunt [2]. »

Milites vociferatos esse « Crispinus nihil sani meditatur », quis credat? Nonne ii qui rebellant semper primum ad id impelluntur ut, quocumque sermone utantur, verba mittant quae significent « Proditi sumus »? « Fremit miles, inquit

1. Cum verbo « mutare » utor, nequaquam affirmo Tacitum e Plutarcho hausisse quae narraret. Hoc nemo unquam defendit. Sed verisimile est : 1° utrumque scriptorem ex eodem fonte hausisse; 2° Plutarchum, cum Taciti ingenio careret, saepissime iisdem fere verbis usum esse, quibus auctor quem imitabatur. Vide Fabia, *Les Sources de Tacite*.

2. Κρισπῖνον δὲ πέμψαντος αὐτοῦ τὴν ἑπτακαιδεκάτην σπεῖραν Ὠστίας ἀπάξοντα, κἀκείνου νυκτὸς ἔτι συσκευαζομένου καὶ τὰ ὅπλα ταῖς ἁμάξαις ἐπιτιθέντος, οἱ θρασύτατοι πάντες ἐβόων οὐδὲν ὑγιὲς τὸν Κρισπῖνον ἥκειν διανοούμενον, ἀλλὰ τὴν σύγκλητον ἐπιχειρεῖν πράγμασι νεωτέροις καὶ τὰ ὅπλα κατὰ Καίσαρος, οὐ Καίσαρι παρακομίζεσθαι. Τοῦ δὲ λόγου πολλῶν ἁπτομένου καὶ παροξύνοντος, οἱ μὲν ἐπελαμβάνοντο τῶν ἁμαξῶν, οἱ δὲ τοὺς ἐνισταμένους ἑκατοντάρχας δύο καὶ τὸν Κρισπῖνον αὐτὸν ἀπέκτειναν, πάντες δὲ διασκευσάμενοι καὶ παρακαλέσαντες ἀλλήλους Καίσαρι βοηθεῖν ἤλαυνον εἰς τὴν Ῥώμην.

Tacitus, et tribunos centurionesque *proditionis arguit.* » Illa vere est rebellantium exclamatio et hi vere sunt proficiscentium gestus : « Resistentem seditioni tribunum et severissimos centurionum obtruncant; *rapta arma, nudati gladii; insidentes equis* urbem ac Palatium petunt. »

Uterque scriptor addit forte eo die senatores insignesque feminas ab Othone ad cenam esse vocatos. « Qui vix effugere potuerant, inquit Plutarchus, cum in convivium milites irruperunt, *percontantes* quo Caesaris inimici evasissent. Tum Otho rectus in lecto stans, cum multum eos *hortatus* esset et *oravisset nec lacrimis pepercisset aegre dimisit* [1]. » Milites non percontati sunt (πυνθανομένων), sed imperantium more locuti : « Militum impetus, inquit Tacitus, ne foribus quidem Palatii coercitus, quominus convivium inrumperent, *ostendi sibi Othonem expostulantes.* » Otho milites non dimisit (ἀπέπεμψεν αὐτούς); nihil aliud efficere potuit quam impedire, quominus omnia trucidarent : eos « *aegre cohibuit* », ut ait Tacitus. Nec eos *hortatus* est, sed supplex *precatus*; nec lacrimarum vim nescio qua arte et mendacio profudit, quod Plutarchus significare videtur cum dicit eum *ne lacrimis quidem pepercisse* (μηδὲ δακρύων φεισάμενος), sed quia lacrimas tenere non poterat : « Undique arma et minae, modo in centuriones tribunosque, modo in senatum universum, lymphatis caeco pavore animis, et quia neminem unum destinare irae poterant, licentiam in omnes poscentibus, donec

1. Καὶ μικρὸν ἔφθησαν ὑπεκφυγόντες διὰ τῶν μισθοφόρων ὠθουμένων εἰς τὸν ἀνδρῶνα καὶ πυνθανομένων, τί γεγόνασιν οἱ Καίσαρος πολέμιοι. Τότε μὲν οὖν ὀρθὸς ἀπὸ τῆς κλίνης πολλὰ παρηγορήσας καὶ δεηθεὶς καὶ μηδὲ δακρύων φεισάμενος, μόλις ἀπέπεμψεν αὐτούς.

Otho contra decus imperii toro insistens *precibus et lacrimis aegre cohibuit*[1]. »

Sic Tacitus eo ipso quod verbo maxime proprio quoque semper usus est, quamquam nec factorum ordinem mutavit nec nova addidit, ex eodem fonte unde frigidam Plutarchus narrationem duxerat picturam duxit eximiam.

2° Alia est Taciti artis pars, ut, cum res mentis oculis tam lucide discernat quam si ante corporis oculos obversentur, omnes spectaculi partes uno conspectu statim complectatur. Ideoque, ut nos quoque eas uno conspectu complectamur, quae simul videt in unum verborum circuitum simul includit.

Quibus positis, quinque, decem aut sexaginta verborum ambitus erit, prout quid unus homo, quid duo aut tres homines, quid ingens multitudo gesserit, erit significandum.

« Stabat Drusus silentium manu poscens. » — Sic unius hominis statua fingitur[2].

« Innisusque fratri et manus ac supplices voces ad Tiberium tendens immoto ejus vultu excipitur. » — « Jam in mortem centurioni ferrum destringenti protendens uterum « ventrem feri » exclamavit. » — Sic eodem marmore complurium hominum statuae finguntur (gallice *un groupe*)[3].

« Versi in laetitiam, ut est vulgus utroque inmodicum, laudantes gratantesque circumdatum aquilis signisque

1. *Othonis vita*, III; H., I, 80-82.
2. A., I, 25.
3. A., II, 29; A., XIV, 8.

in tribunal ferunt. » — « Longus deditorum ordo saeptus armatis per urbem incessit, nemo supplici vultu, sed tristes et truces et adversum plausus ac lasciviam insultantis vulgi inmobiles. » — Sic in uno saxo insculpitur multorum hominum agmen (gallice *un bas-relief*) [1].

Ecce nunc plurium quam sexaginta verborum circuitus. Est enim describenda turba illa, ex senatoribus equitibus hominibus plebeiis mixta, quae cum Othonem victum esse credat, praeceps irruit in Galbae domum, obtundit principis aures conclamationibus, expugnat animum affirmationibus, rapit haesitantem in forum ante quam deliberandi facultas permissa est. Vix respirationis tempus Galbae relictum est. Igitur ne legentibus quidem relinquendum est; ideoque prima verba intrantem turbam, ultima exeuntem imperatorem ostendunt : « Tum vero non populus tantum et inperita plebs in plausus et inmodica studia, sed equitum plerique ac senatorum, posito metu incauti, refractis Palatii foribus ruere intus ac se Galbae ostentare, praereptam sibi ultionem querentes, ignavissimus quisque et, ut res docuit, in periculo non ausurus, nimii verbis, linguae feroces; nemo scire et omnes adfirmare, donec inopia veri et consensu errantium victus sumpto thorace Galba inruenti turbae, neque aetate neque corpore sistens, sella levaretur [2]. »

Tanta est apud Tacitum ars illa qua aut verba continuat aut eorum continuationem dividit, ut, nulla alia re adhibita, egregie depingat quod depictu difficillimum est, qua velocitate quis ex aliquo statu ad contrarium statum tran-

1. H., II, 29; H., IV, 2.
2. H., I, 35.

seat; ut cum Agrippinae mortem narrat. Quae, cum interfectores januas refregissent et ancillarum ultima abiret, primum desperatione victa « tu quoque me deseris » exclamavit. Sed. celerrime sui compos iterum facta, respexit et agminis ducem, quid vellet, submissa voce interrogavit. Nonne autem qua celeritate animo imperaverit, tibi luce clarius redditur eo quod ancillae fuga, Agrippinae clamor, interfectorum adventus, oratio ad eos habita una verborum comprehensione referuntur? Etenim cum conjunctionibus tum impetu quo verba inter se ita vincta se ferunt semper progredi ita cogeris, ut nulla interposita mora Agrippinam ab extremo desperationis ad tranquillitatis extremum se revocantem aspicias : « Abeunte dehinc ancilla, « tu quoque me deseris » prolocuta respicit Anicetum, trierarcho Herculeio et Obarito centurione classiario comitatum, ac, si ad visendum venisset, refotam nuntiaret, sin facinus patraturus, nihil se de filio credere [1]. »

Ac, ne ex eadem narratione egrediamur, vide ut paulo ante ingens multitudo, vulgato Agrippinae periculo, ad litus accurrat. Quisque eniti ut aspiciatur, compleri caelum clamoribus, cum subito omnes procul e litore evanescunt. Nam armati agminis adventu res statim illustrata est : principis mater ut mari obrueretur prope fuisse non casu, sed filii voluntate; si quis ei gratuletur quod non perierit, hanc causam esse posse cur cum ea pereat. Qui igitur Tacitus properationem depinget qua litus ista ignavorum turba nudatum sit? Verba ita struendo, ut haec hominum multitudo nobis ante oculos diu remaneat, ut clamantem

1. A., XIV, 8.

diu audiamus, ut ejus imagine nostra mens repleatur, ut postea uno verbo omne spectaculum e nostro conspectu subito adimatur : « Hi molium objectus, hi proximas scaphas scandere; alii, quantum corpus sinebat, vadere in mare; quidam manus protendere; questibus, votis, clamore diversa rogitantium aut incerta respondentium omnis ora compleri; adfluere ingens multitudo cum luminibus, atque ubi incolumem esse pernotuit, ut ad gratandum sese expedire, donec aspectu armati et minitantis agminis — *disjecti sunt*[1]. »

Proponatur ultimum exemplum unde concludas illius verborum continuandorum artis eam esse vim, ut inter Taciti admirabiles quasdam et quasdam mediocres Suetonii narrationes nihil intersit nisi quod alter altero modo verba conexuerit. Nam ita narrat Suetonius Vitellium, post acceptam cladem, primum in Campaniam frustra fugere tentavisse, mox in Palatium esse regressum, vixque in primo limine vestigium posuisse cum undique servi dilapsi sint : « Paternam domum clam petit, ut inde in Campaniam fugeret; mox levi rumore et incerto, tamquam pax impetrata esset, *referri se in Palatium passus est. Ubi, cum deserta omnia reperisset*, dilabentibus et qui simul erant,... confugit in cellulam janitoris[2]. » Eadem ita narrat Tacitus : « Vitellius capta urbe per aversam Palatii partem in domum uxoris sellula defertur.... Dein mobilitate ingenii et, quae natura pavoris est, cum omnia metuenti praesentia maxime displicerent, *in Palatium regreditur vastum desertumque, dilapsis etiam infimis servitiorum aut occursum*

1. A., XIV, 8.
2. *Vitellius*, XVI.

ejus declinantibus [1]. » Qui igitur scriptorum alter ab altero differt? Una re (in qua sunt omnia), quod Tacitus, cum uno verborum ambitu domini reditum et servorum fugam copulaverit, effecit ut Palatii solitudinem et principis per vacua errantis terrorem sentiremus.

3° Non solum verborum ambitui cuique sua, major minorve, apte ad rei describendae naturam, amplitudo, sed etiam plerumque sua propria, ut ita dicam, *facies* a Tacito datur. Ad quam informandam, ut hominum vultus ex frontis narium oculorum aurium et magnitudine et colore constant, omnes sermonis partes aliquid conferunt. Ita Tacitus non solum verba nunc paucissima, nunc non ita multa, nunc plurima una comprehensione conjungit; sed etiam ex hoc quod verba ita aut ita sonantia eligit, eaque ita aut ita collocat, has aut illas partes agere jubet, nectit aut non nectit conjunctionibus, efficit ut leviter aut graviter progrediatur, segniter aut rapide feratur. Vultne tibi funebrem pompam depingere? Longum sententiarum ordinem habebis, ex genetivis ablativis imperfectis mixtarum; eaeque brevissimae erunt, quo saepius occurrant verba quae graviter cadant, ademptis conjunctionibus plerisque, ne ab alia ad aliam sententiam celerius transire legendo cogaris : « Igitur *tribunorum centurionumque* umeris cineres *portabantur*; *praecedebant* incompta signa, versi fasces; atque ubi colonias *transgrederentur*, atrata plebes, trabeati equites pro opibus loci vestem odores aliaque funerum sollemnia *cremabant*; etiam quorum

1. H., III, 83.

diversa oppida, tamen obvii et victimas atque aras dis Manibus statuentes lacrimis et *conclamationibus dolorem testabantur* [1]. » Vultne contra depingere, qua festinantia, interfecto Galba, plebs in Othonis castra irruerit, quo fervore senatus in novum principem « omnia principatus vocabula » cumulaverit? En novum sententiarum agmen, quae currunt, quae inter se ut fluctus fluctum pellunt, quae brevissimae sunt, quae a verbis leviter cadentibus incipiunt, quae inter se non sunt nexae, quia ipsae volitant : « Alium crederes senatum, alium populum; *ruere* cuncti in castra, *anteire* proximos, *certare* cum praecurrentibus, *increpare* Galbam, *laudare* militum judicium, *exosculari* Othonis manum... *Vocat* senatum praetor urbanus, *certant* adulationibus ceteri magistratus, *adcurrunt* patres, *decernitur* Othoni tribunicia potestas et nomen Augusti et omnes principum honores [2]. »

Ex his exemplis non dubito quin statim intellegatur nihil saepe plus posse apud Tacitum quam verborum sonum. Quae numeri virtus esset, rhetorum aut potius poetarum diligentia perpendisse mihi videtur. Unde fit ut interdum reppererit quae essent versibus simillima et a poetis adhibita mirationem essent motura. Velut, duobus verbis altero post alterum positis quae bene sonarent et eadem similiter caderent, effecit ut sentiremus, quomodo interempto Germanico hominum fletus, velut si montium jugis repercuterentur, inter se responderent : « Exstinguitur ingenti luctu provinciae et *circumjacentium populorum* »; aut quanta pertinacia ignavissimus quisque Othonis cae-

1. A., III, 2.
2. H., I, 45-47.

dem, quem victum esse dicerent, etiam atque etiam expostularet : « Dissono clamore caedem Othonis et *conjuratorum exitium poscentium*[1]. » Ad hoc numerorum genus illud prope accedit quod in eo est ut post duo bene sonantia verba ponantur alia duo, quae similiter desinant, sed longiora sint : « Igitur *torpere cuncti, circumspectare-inter-se attoniti*[2]. »

Cum scripsit Tacitus : « At Romae ruere in servitium *consules patres eques*, quanto quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinantes[3] », cur unum singulare nomen (*eques*) cum duobus pluralibus (*consules equites*) copulavit, nisi ut una syllaba, numeri causa, adimeretur? Cum enim *con|sules | patres | eques* pedum iambicorum (aut trochaïcorum : *consu|les pa|tres e|ques*) ordinem efficiant, si unam syllabam, quamvis brevissima sit, addideris (equ*it*es), evanescet numerus. — At quis putet Tacitum ad argutias istas esse prolapsum? Num ejus est qui tantam prae se fert gravitatem syllabas dinumerare? — Tibi non respondebo, auctore Tullio, « omnium magnarum artium sicut arborum altitudinem nos delectare, radices stirpesque non item; sed esse illam sine his non posse[4] », ne contra dicas, Tullium, dum de syllabis dimetiendis praecepta tradit, rhetoribus esse cognatum; sed id unum a te quaeram, nonne ex ejusmodi argutiis Vergilii et La Fontaine versus saepissime effecti sint.

1. A., II, 72; H., I, 32. Confer A., I, 70 : « Sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus. »
2. H., II, 29.
3. A., I, 7.
4. *Orator*, XLIII, 147.

4° Cur igitur verborum ambitui cuique, non solum certa quaedam amplitudo, sed certa quaedam facies a Tacito datur, quae cum ex multis aliis rebus tum ex verborum sono constat? Ne totius spectaculi naturam attendere desinas, dum singulae partes vehementer in se oculos avertunt. Curat enim Tacitus ut rei describendae partes, cum apte inter se cohaereant, distincte tamen aliae ab aliis internoscantur, sive casus, sive tempus, sive modus, sive aliquid ejusmodi mutatur. Inde notissima illa Taciti *variatio*. In qua quaerenda interdum non minus pueriliter elaborat, quam cum omnes ingentis spectaculi partes in unam verborum comprehensionem, nonnunquam cum multo sudore, nec sine aliquo obscuritatis periculo, congerere tentat. Sed saepissime quae efficit! Vide quam mirabili sit varietate haec pictura, quae jam ob aliam causam est laudata : « Abeunte dehinc ancilla, « *tu quoque me deseris* » prolocuta, respicit Anicetum, ac, si ad visendum venisset, *refotam nuntiaret*, sin facinus patraturus, *nihil se de filio credere; non imperatum parricidium* [1]. » Quare priora Agrippinae verba recta oratione, posteriora vero oratione obliqua referuntur? Quia abeuntem ancillam turbata voce, interfectores vero voce tranquillissima allocuta est Agrippina; nec ulla alia re clarius demonstravit, quomodo animo imperare valeret, quam eo quod consuetam vocem sine ullo intervallo recuperavit. Nonne autem hoc mire tibi palam facit Tacitus cum, *in uno verborum circuitu, a recta oratione statim transit ad obliquam*, ut posteriora loquentis verba aliter sonent ac priora?

1. A., XIV, 8.

Nunc in medium proponatur alius locus in quo Romani, oppressa nescio qua conjuratione, Neronem turpissimis blanditiis onerantes depinguntur. Persimilis tibi esse videbitur uni eorum de quibus paulo ante agebatur (« vocat senatum praetor urbanus », etc.), sed ita ut infinita verba in prioribus sententiis primum obtineant locum, ultimum vero in posterioribus : « Sed compleri interim urbs funeribus, Capitolium victimis; alius filio, fratre alius aut propinquo aut amico interfectis, *agere* grates deis, *ornare* lauru domum, genua ipsius *advolvi* et dextram osculis *fatigare* [1]. » Non satis est animadvertere Tacitum cum omni « varietatis » genere delectari, tum eo cui rhetores nomen χιασμόν imposuerunt. Neve putes priora infinita in initio, posteriora in exitu ob hanc unam causam collocata esse, ut oratio quodam modo quadraretur. Posteriora enim loco move : « *agere* grates deis, *ornare* lauru domum, *advolvi* genua ipsius, *fatigare* dextram osculis »; totum sententiarum agmen vehementi quodam impetu feretur. Quod minime decebit. Nam, postquam accurrentem, volantem, concitatam blandientium turbam vidimus, necesse est eandem immobilem ad Caesaris pedes provolutam videamus. Iisdem verborum temporibus usus est Tacitus quia homines eodem modo affecti esse non desierunt; verba aliter posuit, quia quomodo affecti essent, aliter patefecerunt. Inde illa « *variatio* ». Quam grammatici quo volent nomine vocabunt. Immo, addant ea Tacitum nonnunquam immodice usum esse, ut qui rhetorum disciplinis imbutus esset. Parvi refert, dum fateantur, quantum ple-

1. A., XV, 71.

rumque ad picturae perfectionem conferat orationem ita variari.

Comparentur etiam hae duae sententiae, quarum prior ademptis conjunctionibus alacri incedit gradu, posterior vero non ademptis pedetentim ingreditur; alteraque in brevem et levem infinitivum, altera vero in longum et grave cadit imperfectum, sed ita ut in utraque idem fere sit syllabarum numerus. Non aliter apud poetas versus vicissim procedunt, qui, non mutata pedum natura, sed mutato syllabarum sono, inter se simillimi sunt iidemque dissimillimi : « Non alias magis anxia et pavens civitas, reticens adversum proximos : *congressus, conloquia, notae ignotaeque aures vitari ; etiam muta atque inanima, tectum et parietes, circumspectabantur* [1]. » In utraque sententia civitas terrore perturbata erat depingenda, sed eo terrore qui, nunc praecipiti fuga, nunc cauta expectatione proderetur.

Eam esse Taciti artem ut spectaculi cujusvis partes aliae ab aliis distincte internoscantur, simul autem omnes uno conspectu complecti possimus, sescentis exemplis demonstrare possum. Sed plura proferam non necesse est. Illud unum notatione dignum quod Tacitus verba semper ita collocat ut intellegamus, quo ordine res prospicientibus sese obtulerint.

Estne aliquid depingendum quod totum simul ante spectantium oculos positum est? Hoc eo ordine quo ejusmodi res observari solent describetur, ut a media tabula ad

1. A., IV, 69.

extremas partes oculos feras : « Agebatur huc illuc *Galba* — vario *turbae* fluctuantis inpulsu, — completis undique *basilicis ac templis*, lugubri prospectu [1]. » — « Praefixa contis *capita* gestabantur — inter *signa* cohortium juxta aquilam legionis, — certatim *ostentantibus* cruentas manus qui occiderant, qui interfuerant [2]. » — « In sua contione *Vitellius*, — inter suos *milites*, — prospectantibus etiam *feminis* [3]. »

Estne contra aliquid depingendum quod, quamquam totum simul spectantibus subjectum est, tamen, cum ex longinquo appropinquaret, non totum simul ab iis clare conspectum est? Res Tacitus, ut quaeque discerni potuit, notabit; tibique Agrippina ostendetur, primum duobus cum liberis navi egrediens, dein feralem urnam gerens, postremo oculos defigens : « Postquam duobus cum liberis feralem urnam gerens egressa navi deflexit oculos, idem omnium gemitus [4]. »

Suntne res depingendae quae aliae post alias evenerunt? Non, ut quaeque facta est, sed, ut quaeque ab iis qui aderant est percepta, describentur : « Militum impetus ne foribus quidem Palatii coercitus, quominus convivium inrumperent, ostendi sibi Othonem expostulantes, *vulnerato Julio Martiale tribuno et Vitellio Saturnino praefecto legionis, dum ruentibus obsistunt* [5]. » Martialis et Saturninus ante vulnerati sunt quam in convivium milites penetrarunt. Sed in Palatium, quo irruit turba, te

1. H., I, 40.
2. H., I, 44.
3. H., III, 68.
4. A., III, 1.
5. H., I, 82.

transfer cogitatione. Ecquid aliud aspicies primum nisi irrumpentem multitudinem? Postquam effluxit hic hominum quasi torrens, tum demum animadvertes, quid mali inter eundum effecerit [1].

5° Quales verborum ambitus, talia rerum capita.

Primo, apud Tacitum, ut quot sunt ambitus verborum, tot sunt scaenae, ita quot sunt capita, tot sunt actus. Ne unius quidem tragoediae actus inter se planius secernuntur, quam singula capita ex quibus constat notissima illa narratio in qua Agrippinae caedes exponitur. Immo sin-

1. Hanc artem qua Tacitus efficit ut totum spectaculum uno conspectu amplectaris et cuique tamen rei lumen detur singulare, in eas historiae partes transfert quae pictoris non sunt; ut cum in unam verborum comprehensionem totam Sejani vitam congerit : « Genitus Vulsiniis patre Seio Strabone equite Romano, et prima juventa Gaium Caesarem divi Augusti nepotem sectatus, non sine rumore Apicio diviti et prodigo stuprum veno dedisse, mox Tiberium variis artibus devinxit, adeo ut obscurum adversum alios sibi uni incautum intectumque efficeret, non tam sollertia (quippe iisdem artibus victus est) quam deum ira in rem Romanam, cujus pari exitio viguit ceciditque » (A., IV, 1); aut omnes causas cur mala quadam cupiditate Neronis animus inflammatus sit : « Ignara matre, dein frustra obnitente, penitus inrepserat per luxum et ambigua secreta, ne senioribus quidem amicis principis adversantibus, muliercula nulla cujusquam injuria cupidines principis explente, quando uxore ab Octavia, nobili quidem et probitatis spectatae, fato quodam, an quia praevalent inlicita, abhorrebat. » (A., XIII, 12.)

In priore exemplo, quidquid egit Sejanus ante quam Tiberium devinxit participiis exponitur; quodque in ejus vita praecipuum fuit in praecipua refertur sententia.

In altero exemplo, causae cur princeps illicito captus sit amore ita disponuntur, ut intellegas, quomodo quaeque egerit. Primo de Agrippina agitur, sed ita ut quae ad eam pertinent verba ex ambitu quasi rejiciantur : « Ignara matre, dein frustra obnitente »; nam in isto amore nihil egit Agrippina; Neronis cupiditati non aliter favit quam eo ipso quod fuit ignara. Dein factum exponitur : « penitus irrepserat. » Post, causae ex ordine repetuntur, a proximis usque ad ultimas, quarum altera est, quod homines ad illicita semper natura sunt propensi, altera vero, quod omnia Fato cedunt. Sive igitur totum verborum circuitum, sive singulas partes consideraveris, nihil desiderabis : et omnia uno conspectu comprehendi possunt, et suum quidque obtinet locum.

gulis singuli tituli inscribi possunt : 1° *Parricidium ingeniose inventum*; 2° *Ultimum colloquium*; 3° *Navis placido mari obruta*; 4° *Quaeritur quis interficere velit*; 5° *Caedes conficitur*; 6° *Parricida sceleris conscientia cruciatus*; 7° *Qualis imperator, talis senatus*; 8° *Princeps publici servitii victor* [1].

Secundo, ut in uno verborum ambitu quidque vim obtinet singularem, nec tamen totius ambitus facies mutatur, sic in una narratione res maxime contrariae maxime contrariis opponuntur, nec tamen frangitur narrationis tenor : « *At Agrippina*, quamquam defessa luctu et corpore aegro, omnium tamen quae ultionem morarentur intolerans, ascendit classem cum cineribus Germanici et liberis, miserantibus cunctis, quod femina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio inter venerantes gratantesque aspici solita, tunc ferales reliquias sinu ferret, incerta ultionis, anxia sui et infelici fecunditate fortunae totiens obnoxia. *Pisonem interim* apud Coum insulam nuntius adsequitur excessisse Germanicum ; quo intemperanter accepto, caedit victimas, adit templa, neque ipse gaudium moderans et magis insolescente Plancina, quae luctum amissae sororis tum primum laeto cultu mutavit [2]. »

Tertio, in quaque narratione res non minus bono ordine quam in quoque verborum ambitu disponuntur.

In exemplum assumatur pervulgatus ille *Historiarum* locus in quo Vitellius Bedriacensibus campis insistens

1. XIV libri capita 2, 4, 5, 7, 8, 10, 12, 13.

2. A., II, 75. Confer A., XI, 31 : « Satis constat eo pavore offusum *Claudium*, ut identidem interrogaret, an ipse imperii potens an Silanus privatus esset. *At Messalina*, non alias solutior luxu, adulto autumno simulacrum vindemiae per domum celebrabat », etc.

ostenditur; et admiremur ante omnia, ut prioribus verbis totum factum illustretur : « Inde Vitellius Cremonam flexit et, *spectato munere Caecinae*, insistere Bedriacensibus campis ac vestigia recentis victoriae lustrare oculis concupivit, foedum atque atrox spectaculum. » Ex eo quod Vitellius *spectato munere* vestigia recentis victoriae lustrare oculis concupivit, patet eum nulla alia re quam visendi cupiditate pulsum ad Bedriacenses campos accurrere : spectato certamine, in quo nonnulli homines ut delectaretur inter se occiderunt, locum certaminis in quo permulti homines inter se occiderunt ut imperium obtineret, spectabit.

Dein attende, quo ordine singula describantur. Primum tibi subjicitur ante oculos scaena in qua tristissima agetur fabula : « Intra quadragensimum pugnae diem lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formae, infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus dira vastitas. » Post in media scaena ponuntur qui primas ferunt : « Aderant Valens et Caecina, monstrabantque pugnae locos : hinc inrupisse legionum agmen, hinc equites coortos, inde circumfusas auxiliorum manus. » Non procul adstant qui sunt secundarum partium : « Jam tribuni praefectique, sua quisque facta extollentes, falsa vera aut majora vero miscebant. » Circumcirca ruit militum turba : « Vulgus quoque militum clamore et gaudio deflectere via, spatia certaminis recognoscere, aggerem armorum, strues corporum intueri, mirari. » En in quadam scaenae parte qui lacrimas fundant : « Et erant quos varia sors rerum lacrimaeque et misericordia subiret. » Sed ne in hac oculi diutius morentur, ad mediam scaenam eos revocat

Tacitus : « At non Vitellius flexit oculos nec tot milia insepultorum civium exhorruit[1]. » Nonne narrationis partes tam eximie ordinatae sunt quam egregie quaeque depicta est?

III

Aut nihil aut hoc, ut nobis quidem videtur, e nostra disputatione concludi potest :

Pictor Tacitus existimandus est, si, cum hoc dicimus, intellegi volumus Tacitum inter eos esse referendum qui et omnia videre et omnia sub legentium oculos subjicere valeant. Sed cum ejus ars praesertim in eo posita sit quod propriis utitur rerum vocabulis, quod apte ad rei describendae naturam plura pauciorave verba simul comprehendit, quod ambitu non fracto rei cuique vim affert singularem, quod apud eum omnia et lucida sunt et bene disposita, nonne propior est iis qui fingunt et sculpunt quam iis qui tabulas pingunt?

Neque id mirum videbitur considerantibus Tacitum eo ipso tempore fuisse quo apud Romanos maxime floruit ars sculpendi. De qua locutus est qui de Trajani principatu egregie non ita pridem disseruit[2] : « Imperatorum aetas, inquit, eximium quoddam artificum genus tulit : eos dico qui in exterioribus aedificiorum parietibus militares privatas publicas res insculpserunt. In quo Graecis dissimil-

1. H., II, 70.
2. C. de la Berge, *Essai sur le règne de Trajan*, *Bibl. de l'École des Hautes Études*, *32e fascicule*, p. 285-286.

limi fuerunt. In Graecorum enim aedificiis nihil reperimus nisi longissima hominum agmina, qui, sive pompam ducunt, sive rem divinam faciunt, sive funebri cenae intersunt, singuli singulos sequuntur; idque tam placide, ut quaeri potuerit, utrum artifices res quae vere fierent sibi proposuissent imitandas an ipsi omnino excogitassent quae exprimerent. Romani vero in aedificiis res vere gestas insculpserunt; nec quidquam inveniri potest quod sit praestantius : res, etsi non erant simplices, nulla tamen confusione redditae sunt; homines, ut natura ferebat, dispositi sunt; expedite moventur; omnia simul ad rerum fidem et ad oculorum voluptatem accommodata sunt; omnia vivere ac respirare videntur. » De notissima illa a Trajani nomine dicta columna idem rerum scriptor haec addit : « Etsi quaedam inutilia sunt et multa neglegenter facta, tamen negari non potest totum opus praeclara quadam arte esse confectum : exercitus iter facientes, duces in castris orationem habentes, consertae pugnae, captivi per triumphum ducti aliaque similia ita expressa sunt, *ut omnia sint mire clara et egregie disposita*[1]. » Nonne autem haec ipsa laus ad Tacitum transferenda est?

1. « Tout est rendu avec une précision surprenante et un talent de composition incontestable. »

CAPUT TERTIUM

QUAS POTISSIMUM RES TACITUS DEPINGAT

Tacitus non inter eos qui regionum situs descripserunt mihi videtur, ut noster Michelet, esse reponendus. Nisi forte in eum numerum referendus est, quod hic (neque ita mirifice, meo quidem judicio), Caprearum amoenitatem depinxerit : « Caeli temperies hieme mitis objectu montis, quo saeva ventorum arcentur; aestas in favonium obversa et aperto circum pelago peramoena; prospectabatque pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret[1] »; illic (sed fortasse ita ut potius nos commoveret quam rem nostris oculis subjiceret) noctem illam qua siderum splendor et maris tranquillitas Neronis parricidium manifestum reddiderunt : « Noctem sideribus inlustrem et placido mari quietam quasi convincendum ad scelus di praebuere[2]. » Aut nisi forte in eundem numerum referendus est noster Corneille, quod de « obscura illa

1. A., IV, 67.
2. A., XIV, 5.

luce quae e stellis delabitur » locutus sit? Ecqui pictor unquam fuit, quin arbores, mare, caelum bis aut ter penicillo imitari conatus sit? Ecqui poeta septimo decimo saeculo exstitit, quin cum nostri saeculi poetis bis aut ter visus sit aliquam habere cognationem? Non ille tamen cum his comparabitur propter duos aut tres versus; nec Tacitus cum iis qui regiones depingunt, quod bis aut ter aliquam maris vel paludum speciem expresserit. Qui nihil aliud unquam praeter humanas tragoedias attente consideravit. Ad quid enim in tempestate oculos advertit, nisi ad homines « haustos gurgitibus »? « Et opplebantur terrae : eadem freto, litori, campis facies, neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia a profundis. Sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus; jumenta, sarcinae, corpora exanima interfluunt, occursant. Permiscentur inter se manipuli, modo pectore, modo ore tenus exstantes, aliquando subtracto solo disjecti aut obruti[1]. » Quid in « maestis locis » in quibus Vari legiones deletae erant aspexit, nisi cladis vestigia? Ea autem, ut vidit! et quotiens a locis petiit ut tragoediam explicarent, quam enucleate, quam facunde responderunt! « Prima Vari castra lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant; dein semiruto vallo, humili fossa accisae jam reliquiae consedisse intellegebantur. » Illinc proruisse legionum agmen, huc confugisse patet. Cur autem huc totum non confugerit, albentia ossa quae in medio campo jacent apertius declarant : « Medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut resti-terant, disjecta vel aggerata. » Quae fuerit tristissimae

1. A., I, 70.

tragoediae ultima pars, truncis arborum antefixa ora et arae in lucis propinquis exstructae testantur : « Adjacebant fragmina telorum equorumque artus, simul truncis arborum antefixa ora; lucis propinquis barbarae arae apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant[1]. » Ecquid hoc praestantius? Sed ipsa loca Tacitus non depinxit, aut potius in locis, ut solebat, non quod ipsa natura, sed quod hominum manus effecerat, depinxit.

Referetur igitur Tacitus inter eos qui, ut Saint-Simon, in clarorum virorum effigie summatim exprimenda praesertim excellunt? Ita prorsus existimat Nisard[2]. Cujus in sententiam non eundum esse audacter affirmaverim. Nam tantum abest ut ii loci in quibus virorum illustrium natura breviter definitur primas apud Tacitum habeant, ut, quo magis progressus sit, eo rariores eos reddiderit. Galbam, Othonem, Vitellium, Vespasianum, Mucianum in *Historiis* descripsit; Messalinam, Claudium, Agrippinam minorem, Britannicum non descripsit in *Annalibus*; vel potius, descripsit qui fuerint, narrando quid gesserint; quem depingendi modum scriptorum recentissimi frequentant. Visne doceri, qui fuerit Gasto De Foix? Lege locum in quo Brixiae oppugnationem narrat Michelet : « Cum pedites in lubrico caderent, « Parva res est », inquit Gasto, et, positis calceis, nudis pedibus ascendere coepit[3]. » Visne doceri, quae fuerit Agrippina? Lege pervagatissimum hunc Taciti

1. A., I, 61.
2. Vide p. 1, n. 1.
3. « Les hommes d'armes trouvaient le chemin glissant et tombaient. « N'est-ce que cela? » dit Gaston. Il ôta ses souliers et se mit à monter pieds nus. »

locum : « Legatis Armeniorum causam gentis apud Neronem orantibus escendere suggestum imperatoris et praesidere simul parabat, nisi ceteris pavore defixis Seneca admonuisset, venienti matri occurreret : ita specie pietatis obviam itum dedecori[1]. » Quid est quod praeterea exspectemus, ut Gastonis et Agrippinae mores perspectos habeamus?

Sed longius progrediar. Nam Tacitus virorum clarorum imaginem, non modo non ita saepe, sed etiam non ita nove expressisse mihi videtur; nec assentior ei gratulantibus « quod in depingendis viris illustribus non tam veterum artem meliorem reddiderit quam novam invenerit ». Num Othonem, Galbam, Vespasianum aliter depinxit atque Catilinam Sallustius aut Livius Hannibalem? Esse quaedam apud eum quae ex Saint-Simon manu exisse credas, concesserim; sed talia in locis minime laudatis reperio, ut cum Vatinii originem, corpus, mores septem omnino verbis eximie descripsit : « Vatinius inter foedissima ejus aulae ostenta fuit, *sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus;* primo in contumelias adsumptus, dehinc optimi cujusque criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi, etiam malos praemineret[2]. » Talia in pervulgatis illis locis non reperio, quos pueris nostris saepissime proponimus, ut in gallicam linguam vertantur, ubi de Galba aut Othone disseritur. Nam, contra ac solent recentiores, et praesertim Michelet, nihil nisi generalia dicit, ut haec sunt : « Ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus; famae nec incuriosus, nec venditator; pecuniae alienae non appetens,

1. A., XIII, 5.
2. A., XV, 34.

suae parcus, publicae avarus », et quae sequuntur; non particularia, ut haec sunt : « Nulla fortitudine fuit Octavianus. Quotiens victoriam tulit, *apud Philippos, Mylas, Actium*, dormiit aut aegrotavit. *In Sicilia*, cum Lepidi legiones corrupisset et in eorum castra esset ingressus ac nonnulli milites ei manum inferre vellent, se in pedes conjecit, irridentibus veteranis, quos postea trucidavit[1]. » Dein, contra ac solent Michelet et Saint-Simon, quo animo fuerint clarissimi viri, sed non quo corpore, curat. Fenelon longiore naso fuisse et oculis « unde ingenium, ut torrens quidam, effunderetur »; Carolum Magnum, « procero corpore, rotundo capite, crassa cervice, longo naso, projecto ventre, parva voce »; Henricum De Turenne, ore, ut Batavi solent, pallido; Saint-Just, tenuissima fronte, caeruleis iisdemque rigentibus et feris oculis, supercilio vehementius delineato[2], capillo demisso, ex Saint-Simon et Michelet comperimus. Contra, si nullos alios quam Tacitum auctores haberemus, nemo sciret Neronem fuisse « corpore maculoso et fetido, subflavo capillo, oculis caesiis et hebetioribus, cervice obesa, ventre projecto, gracillimis cruribus »; Galbam, « capite praecalvo, oculis caeruleis, adunco naso, manibus pedibusque articulari morbo distortissimis, ut neque calceum perpeti, nec libellos evolvere aut tenere omnino valeret »; Vitellium, « enormi proce-

1. « Assez d'audace politique... D'autre courage point... A toutes ses victoires, à Philippes, à Myles, à Actium, il dormait ou était malade. En Sicile, quand il gagna les légions de Lépide et entra dans leur camp, quelques soldats faisant mine de vouloir mettre la main sur lui, il s'enfuit à toutes jambes, au grand amusement des vétérans, qu'il fit ensuite égorger. » (Michelet.)

2. « Sans ses yeux bleus fixes et durs, ses sourcils fortement barrés, Saint-Just eût pu passer pour une femme », etc.

ritate, facie rubida ex vinulentia, ventre obeso, altero femore subdebili [1] ». Nonne mirum est praestantissimum illum artificem cujus tot exstant perfectissime insculpta unius tantum imperatoris caput reliquisse? « Erant qui crederent in senectute corporis quoque habitum pudori fuisse : quippe illi praegracilis et incurva proceritas, *nudus capillo vertex, ulcerosa facies ac plerumque medicaminibus interstincta* [2]. »

Sed minime id mirum. Nam Tacito oris lineamenta, corporis proceritas, oculorum color « fortuita » esse videntur nec digna quae memorentur nisi causae fuerunt, cur magnae res evenirent, ut in Pisone vultus decor, propter quem dux a conjuratis electus est [3], aut in Tiberio capitis deformitas, propter quam se ipse Capreas relegavit. Illud unum referre putat ut significet, quomodo homines alii alio tempore afficiantur. Igitur nihil aliud notat nisi primum quae dicantur (eaque ita notat, ut, etiamsi obliqua utatur oratione, qua voce dicantur intellegamus : « Prorumpit Narcissus denuntiatque centurionibus et tribuno qui aderat *exsequi caedem*; *ita imperatorem jubere* [4] »); dein, quomodo corpora, manus, capita stent aut moveantur : « Repperit *fusam humi*, *adsidente* matre Lepida,... cum *adstitit* tribunus per silentium ». — « Venientem dehinc obvius excepit *manu et complexu*... Quidam *manus protendere*... *Circumsteterunt* lectum interfectores... Reli-

1. Suetonius, *Nero*, LI; *Galba*, XXI; *Vitellius*, XVII.
2. A., IV, 57.
3. « Aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies. » A., XV, 48.
4. A., XI, 37.

quo noctis, modo per silentium *defixus*, saepius pavore *exsurgens*[1]. »

Quid inde sequitur nisi ut, quemadmodum Suetonius tibi suppeditare potest quod vividis coloribus depingas, ita Tacitus, quod in scaenam inducas *ac praesertim quod in marmore vel saxo insculpas*?

Non immerito deridetur poeta[2] qui gallicis versiculis, quos cum hendecasyllabis latinis comparare licet, res populi romani perscribere sibi proposuerat. Derisores tamen, si ita existiment maximas res angustissimis finibus non posse contineri, confutent duo illi artifices in sculpendi arte praestantissimi, Heredia et Tacitus. Quorum alter in paucissima quaternum denum versuum poemata fere omnem rerum veterum, alter fere omnem suae aetatis memoriam in artissimos inclusit verborum ambitus.

I. Tacitus enim quidquid ad militiam spectabat in artissimos verborum ambitus distribuit, quos cum circumscriberet, res in Trajani illa columna insculptas eum intuitum esse credas.

En primum omne pomparum genus.

Dux suorum umeris domum aut in tribunal deductus : « Versi in laetitiam, ut est vulgus utroque inmodicum, laudantesque gratantesque circumdatum aquilis signisque in tribunal gerunt. » — « Domitianum, ad duces

1. A., XI, 37; A., XIV, 4, 8, 10. Vide etiam : A., VI, 50 : « Caesar in silentium *fixus* a summa spe novissima exspectabat. »
A., XIII, 16 : « Nero, ut erat *reclinis* », etc.
H., I, 36 : « Nec deerat Otho *protendens manus* adorare vulgus, jacere oscula », etc.
2. Benserade.

partium progressum et Caesarem consalutatum miles frequens utque erat in armis in paternos penates deduxit [1]. »

Dux ad triumphum ductus : « Ipse Vitellius a ponte Mulvio insigni equo, paludatus accinctusque, senatum et populum ante se agens [2]... »

Ducis exsequiae : « Tulere corpus praetoriae cohortes cum laudibus et lacrimis vulnus manusque ejus exosculantes [3]. »

Deditorum ordines : « Longus deditorum ordo saeptus armatis per urbem incessit, nemo supplici vultu, sed tristes et truces et adversum plausus ac lasciviam insultantis vulgi inmobiles [4]. »

Proficiscens agmen : « Incedebat muliebre et miserabile agmen, profuga ducis uxor, parvulum sinu filium gerens, lamentantes circum amicorum conjuges, quae simul trahebantur, nec minus tristes qui manebant [5]. »

En contiones apud milites habitae : « Stabat Drusus silentium manu poscens. » — « Nec deerat Otho protendens manus adorare vulgus, jacere oscula [6]. »

Quidam dux a barbaris electus : « Igitur ipso rebellis familiae nomine placuit [Brinno] *inpositusque scuto* more gentis *et sustinentium umeris vibratus* dux deligitur [7]. »

1. H., II, 29; H., III, 86.
2. H., II, 89.
3. H., II, 49. Vide etiam locum paulo ante laudatum p. 33 : « Igitur tribunorum centurionumque umeris cineres portabantur; praecedebant incompta signa », etc. (A., III, 2.)
4. H., IV, 2.
5. A., I, 40. Vide etiam locum in secundo capite laudatum, p. 28 : « Rapta arma, nudati gladii », etc. (H., I, 80.)
6. A., I, 25; H., I, 36.
7. H., IV, 15.

Quidam a legionibus imperator salutatus : « Haud dubiae jam in castris omnium mentes tantusque ardor, ut non contenti agmine et corporibus *in suggestu*, in quo paulo ante aurea Galbae statua fuerat, *medium inter signa Othonem vexillis circumdarent*[1]. »

Commissum proelium : « Absumptis quae jaciuntur et ardescente pugna procursum ab hoste infestius : *immensis corporibus et praelongis hastis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant*[2]. »

Oppidum a barbaris oppugnatum, defensum a Romanis : « Ingerunt desuper Othoniani pila librato magis et certo ictu adversus temere subeuntes cohortes Germanorum cantu truci et more patrio nudis corporibus super umeros scuta quatientium[3]. »

Oppidum romanis artibus oppugnatum et defensum : « Romanae utrimque artes : pondera saxorum Vitelliani provolvunt, disjectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur, donec soluta compage scutorum exsangues aut laceros prosternerent multa cum strage[4]. »

Rex barbarus Romanis arma tradens : « Paucis diebus interjectis, magna utrimque specie, inde eques compositus per turmas et insignibus patriis, hinc agmina legionum stetere fulgentibus aquilis signisque et simulacris deum in modum templi : medio tribunal sedem curulem et sedes effigiem Neronis sustinebat. Ad quam progressus Tiridates caesis ex more victimis sublatum capiti diadema imagini subjecit[5]. »

1. H., I, 36.
2. H., V, 18.
3. H., II, 22.
4. H., III, 27.
5. A., XV, 29.

Legiones romanae in barbarorum dicionem venientes : « Revulsae imperatorum imagines, indecora signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis : silens agmen et velut longae exsequiae [1]. »

II. In angustissimos ejusmodi ambitus verborum Tacitus distribuit quidquid ad publicas privatasque res pertinebat.

1° En omne tragoediarum et comoediarum genus quae per vias et fora turbulentis in rebus spectari solent.

Aedificia et fora praesidiis occupantur : « Aditum senatus globus togatorum obsederat non occultis gladiis, dispersique per fora ac basilicas cunei militares [2]. »

Populus rebus agendis spectator interest : « Agebatur huc illuc Galba, vario turbae fluctuantis inpulsu, completis undique basilicis ac templis, lugubri prospectu; neque populi aut plebis ulla vox, sed attoniti vultus et conversae ad omnia aures [3]. »

Ab equite proculcatur : « Igitur milites Romani, quasi Vologesum aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri ac non imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent, disjecta plebe, proculcato senatu, truces armis, rapidi equis forum inrumpunt [4]. »

Postera die, domus clausae manent : « Postera die, velut capta urbe, clausae domus, rarus per vias populus, maesta

1. H., IV, 62.
2. A., XVI, 27.
3. H., I, 40.
4. H., I, 40. Vide locos laudatos p. 76 et p. 17 : Victus imperium vult ejurare (H., III, 68); victi caput per vias gestatur (H., I, 44).

plebs, dejecti in terram militum vultus ac plus tristitiae quam paenitentiae [1]. »

2° En tragoediae quae aut apud Caesarem, aut in curia, aut in privatorum domibus aguntur.

Miseri ad principis pedes frustra se projiciunt : « Nec defensioni locus, quamquam supplices manus tenderet, humi plerumque stratus, lacera veste, pectus atque ora singultu quatiens. » — « Cubiculum imperatoris reserat filium ejus sinu complexus et genibus accidens [2]. »

Principem quidam vult occidere : « Idem Subrio Flavo adsistenti adnuentique an inter ipsam cognitionem destringeret gladium caedemque patraret, renuit, infregitque impetum jam manum ad capulum referentis [3]. »

Stant rei ante consules : « Steteruntque diversi ante tribunal consulum grandis aevo parens, contra filia intra vicensimum annum, nuper marito Annio Pollione in exilium pulso viduata desolataque, ac ne patrem quidem intuens, cujus onerasse pericula videbatur. » — « Ab exilio retractus inluvieque ac squalore obsitus et tum catena vinctus pater oranti filio comparatur [4]. »

Rei alii alio mortis genere interimuntur : « Julius Celsus tribunus in vinclis laxatam catenam et circumdatam in diversum tendens suam ipse cervicem perfregit. » — « Tum primum fortunam suam introspexit ferrumque accepit, *quod frustra jugulo aut pectori per trepidationem admovens ictu tribuni transigitur.* » — « Tunc eodem in cubiculo eodem ferro abscindunt venas, properique et

1. H , I, 82.
2. H., III, 10; 38.
3. A., XV, 58.
4. A., XVI, 30; IV, 28.

singulis vestibus ad verecundiam velati balineis inferuntur, pater filiam, avia neptem, illa utrosque intuens, et certatim precantes labenti animae celerem exitum, ut relinquerent suos superstites et morituros [1]. »

3° In scaena, post « Plaudite cives », altera comoedia, eaque insanissima, spectantibus gratuito offertur : « Postremo *flexus genu* et coetum illum *manu veneratus* [Nero] sententias judicum opperiebatur ficto pavore [2]. »

Bacchanalia celebrantur : « Ipsa crine fluxo thyrsum quatiens, juxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, jacere caput, strepente circum procaci choro [3]. »

III. Hoc longo exemplorum ordine duplex, mea quidem sententia, continetur documentum.

Nonne primo patet Tacitum in eligendis quae describat non tam iis qui pingunt quam iis qui sculpunt esse proximum? Nam angustissimae illae sententiae in quibus nihil aliud fere describitur quam et gestus et motus et quidquid, ut breviter dicam, sculpendi artis materia est, non solum apud Tacitum plurimae semper fuerunt, sed fit paulatim, cum aliquid vult describere, ut occurrant fere solae.

Dein, nonne ex eorundem exemplorum varietate apparet Tacito inter eos qui sculpunt primas esse concedendas? Qui enim in arte sua principem obtinebunt locum, nisi qui sub ejus, ut ita dicam, dicionem regiones redegerunt quas acquirere posse non videbatur? Quod La Fontaine et Racine

1. A., VI, 14; XI, 38; XVI, 11. Vide etiam locum jam laudatum p. 29 : « Jam in mortem centurioni », etc. (A., XIV, 8.)
2. A., XVI, 4.
3. A., XI, 31.

fecisse satis constat. Ille enim fabellas, quod poematis genus perquam exiguos fines habet, ita tractavit, ut hominum mores, ut animalium consuetudines, ut regionum amoenitatem, ut suam ipse naturam depingeret. Hic, cum a Petro Corneille tragoediam accepisset, quae tantum ad perennes hominum mores depingendos accommodata esse putaretur, effecit tamen, ut res romanae in *Britannico*, res peregrinae in *Bajazet* ad historiae fidem exponerentur, ut in *Phaedra* sentiremus, quae propriae essent fabularum illecebrae, ut in *Athalia*, ne in re nota multus sim, multa essent ad oculorum voluptatem. Ita quae singula de scaenâ depulsa erant ab iis qui ante Racine in tragoediis erant versati, singula in eam Racine restituit. Non minus igitur laudandus erit Tacitus noster, quo nemo artis suae imperium latius protulit. Ut enim non perdifficile est mulierem « centurioni in mortem gladium destringenti protendentem uterum » aere vel ebore vel marmore fingere, nec ducem « inter aquilam et vexilla militum umeris deductum » in saxo insculpere, ita quam magnum est insculpere in saxo (quod fecit Tacitus) proelia conserta, oppida oppugnata, urbem perturbatam, aliasque res, aut quae ex plurimis partibus constiterunt, aut quae diu productae sunt, aut quibus ingens hominum multitudo interfuit!

Neve putemus inceptum Tacito semper optime processisse. Sunt quibus acerba reprehensione interdum dignus esse visus sit. Alii ei vitio dederunt, quod in narrandis pugnis plerumque incerta dixerit [1], alii, quod in Bedria-

1. « A force de généraliser le combat, il le supprime. » Dubois-Cuchant, *Tacite et son siècle* (Paris, 1861, Didier, 2 vol.), t. II, p. 515-516.

censi bello rerum ordinem obscure expedierit [1]. Quibus ex parte libenter assentior. Sed in ejusmodi reprehensionibus nobis non est commorandum. Nam, quemadmodum nemo planius sensit quam Racine nullum fere esse argumentum, quod non posset in scaena ita tractari ut res uno die et in uno loco conficeretur, ita nemo apertius intellexit quam Tacitus, qua ratione omnes fere humanae tragoediae in marmore insculpi possent.

1° Estne aliquid describendum quod ex pluribus partibus confletur? Una pars a Tacito eligetur, sed ea quae ceteras, ut ita dicam, contineat; ut, cum proelia narranda sunt. Quorum nihil fere aliud plerumque describit, nisi quae sit locorum et utriusque exercitus facies; aut solum ante commissam pugnam : « Stabat pro litore diversa acies, densa armis virisque, intercursantibus feminis; in modum Furiarum veste ferali, crinibus dejectis faces praeferebant; Druidaeque circum, preces diras sublatis ad caelum manibus fundentes, novitate aspectus perculere militem, ut quasi haerentibus membris inmobile corpus vulneribus praeberent; dein cohortationibus ducis et se ipsi stimulantes, ne muliebre et fanaticum agmen pavescerent, inferunt signa, sternunt obvios et igni suo involvunt [2] »; aut simul et ante commissam et post confectam pugnam : « Tum quadripartito exercitu hos in testudinem conglobatos subruendo vallo inducit, alios scalas moenibus admovere, multos tormentis faces et hastas incutere jubet; libritoribus funditoribusque attributus locus, unde eminus glandes

1. Mommsen, Kuntze, alii; vide Fabia, *Les Sources de Tacite*, p. 274, l. 27 et p. XVI-XXII.
2. A., XIV, 30.

torquerent, ne qua pars subsidium laborantibus ferret pari undique metu. — Tantus inde ardor certantis exercitus fuit, ut intra tertiam diei partem nudati propugnatoribus muri, objices portarum subversi, capta escensu munimenta omnesque puberes trucidati sint, nullo milite amisso, paucis admodum vulneratis [1]. » Neque dicendum est non inveniri posse quod te magis oblectet; sed, quae fuerit belli causa, quae pugnandi ratio, quod armorum genus, quae pugnantium ingenia, quae ducum proposita, te non facile intellegere [2]. Nihil certe ipse Tacitus gravius tulisset quam hoc in se reprehendi; quippe qui « non modo casus eventusque rerum, sed rationem etiam causasque » se explicaturum esse profiteretur [3]. Nec quidquam in eo magis immerito reprehendi potest. Nam quae tabulae ad oculorum voluptatem tam bene dispositae sunt, eaedem plerumque clarissime rationem reddunt, cur victoria reportata sit; immo interdum ad id ipsum depictae sunt, ut reddant : « Nec minor Germanis animus; sed *genere pugnae et armorum superabantur*, cum ingens multitudo artis locis praelongas hastas non protenderet, non colligeret, neque adsultibus et velocitate corporum uteretur, coacta stabile ad proelium : contra *miles, cui scutum pectori adpressum et insidens capulo manus, latos barbarorum artus, nuda ora foderet* viamque strage hostium aperiret [4]. » Ecquid est quod pingendi, aut potius, ut semper, sculpendi arte dignius sit, idemque quod nos magis distincte edoceat, cur victoriam ad Romanos inclinare necesse

1. A., XIII, 39.
2. Dubois-Cuchant, *op. laud.*, p. 515-516.
3. H., I, 4.
4. A., II, 21. Confer A., I, 64.

fuerit? Nonne tibi talia legenti statim occurrit illud nostri Taine « philosophos et artifices cognatione quadam inter se conjunctos esse; ab utrisque rerum causas legesque perspicue patefieri, sed ita ut, quod alteri definiant alteri depingant, quod illi rationi hi oculis subjiciant, quodque illi iis tantum qui intellegunt hi etiam multitudini liquidum reddant [1] ».

2° Estne res describenda ad quam plurimi homines aliquid conferant? Paucissimi a Tacito eligentur, sed ita ut ex eo quod ipsi gerant manifestum fiat, quomodo omnes afficiantur.

Tibi sub oculos subjice multitudinem quae, vulgato Agrippinae periculo, ad litus irruit. Pro se quisque, ut principis mater servetur, contendit vel potius, quantae sibi curae sit principis mater, quoquo modo ostentat. Sed sunt in quibus clarius, ut ita dicam, perluceat, quid velint omnes. Hos tibi ostendet Tacitus : « Hi molium objectus, hi proximas scaphas scandere; alii, quantum corpus sinit, vadere in mare; *quidam manus protendere* », quasi e fluctibus Agrippinam eripere possint. Nonne manus illae frustra protentae satis sunt ut intellegas, totam istam turbam immoderatum prae se ferre dolorem, quia non ex animo dolet, et ridendam esse, quia nihil agit [2]?

Nunc tibi subjiciantur sub oculos Arminii Cherusci a Germanici milite profligati. Quibus nihil erat in impetu faciendo ferocius. Sed ad quantum terrorem omnis ille ardor, accepta clade, se convertat (quem esse communem barbarorum morem, satis constat), nonne ex hoc uno

1. *Philosophie de l'art*, t. II, p. 54.
2. A., XIV, 8.

apertum fit, quod quidam, ut pueri qui poenam evitare conantur, ad summas arbores confugiunt? « Ceteri passim trucidati. Et plerosque tranare Visurgim conantes injecta tela aut vis fluminis, postremo moles ruentium et incidentes ripae operuere. *Quidam turpi fuga in summa arborum nisi ramisque se occultantes admotis sagittariis per ludibrium figebantur*, *alios prorutae arbores adflixere*[1]. »

Tibi subjice postremo sub oculos Corbulonis castra, in quae intolerandum frigus irrupit. Nonne, dum Tacitus describit ut unius militis manus praeriguerit, simul descripsit ut omnes gelu premerentur? « Ambusti multorum artus vi frigoris et quidam inter excubias exanimati sunt. *Adnotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, ita praeriguisse manus, ut oneri adhaerentes truncis brachiis deciderent*[2]. »

Nihil aliud referre nisi unam rem, eamque tenuissimam, ex qua totum spectaculum tibi fingere cogaris, Tacitus non solet. Sed plerumque in aliqua narrationis parte res ejusmodi ponitur, unde totum spectaculum magis illuminetur. Velut, cum nos transfert in eos campos in quibus Vitellius vestigia recentis victoriae lustrare oculis concupivit, haud procul ab illo principe, ab illis ducibus, ab illis militibus, qui tot milia insepultorum civium non exhorrescunt, nobis quosdam quasi digito monstrat quibus misericordia lacrimas excitat : « Et erant quos varia sors rerum lacrimaeque et misericordia subiret. » Quid reperiri poterat quod magis, quam hae lacrimae, significaret, quae esset totius specta-

1. A., II, 17.
2. A., XIII, 35.

culi natura? Nam quorundam miseratione majoris partis inhumanitas illustratur, nec tam efficitur, ut illos amemus quam ut hos oderimus; non enim tam mirum est nonnullos fuisse qui deflerent, quam plurimos fuisse qui nullum effunderent fletum [1]. Velut, in media illa multitudine quae eundem Vitellium dum ad Gemonias ducitur insectatur, quis est qui Taciti oculos advertit? Quidam e germanicis militibus qui suum imperatorem ludibrio eripere tentat. Unde enim clarius apparere poterat, quomodo pravissima ista turba affecta esset, quam ex eo quod inter tot homines unus exstitit quem tanta aerumna commoveret; nec tamen, utrum misericordia an odio impelleretur, satis compertum erat : « Obvius e germanicis militibus Vitellium infesto ictu per iram, vel quo maturius ludibrio eximeret, an tribunum adpetierit, in incerto fuit [2]. »

IV. Contraria contrariis opponere, quam vehementer Tacitum delectet, haec duo exempla declarant, plurima alia confirmant. Ne Plutarchus quidem fuit magis assiduus in comparando. Nam aut in uno homine virtutes singulas cum singulis vitiis contendit [3], aut homines binos inter se confert, ut Vespasianum et Mucianum, Valentem et Caecinam, Othonem et Vitellium, Domitium Aprum et M. Servilium, Germanicum et Alexandrum [4]. Nec unquam libentius penicillo usus esse mihi videtur quam cum potuit

1. H., II, 70.
2. H., III, 84.
3. A., I, 80 : « Ut callidum ejus ingenium, ita anxium judicium; neque enim eminentes virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat; ex optimis periculum sibi, a pessimis dedecus publicum metuebat. »
4. H., II, 5; II, 30 et 56; II, 31; A., XIV, 19; II, 73.

inter se opponere, aut in binis continuis capitibus plebem irruentem in Galbae domum ut Othonis caedem flagitaret et milites « in suggestu, in quo paulo ante aurea Galbae statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdantes »; aut in binis continuis sententiis Agrippinam luctu confectam et Pisonem gaudio perfusum, Claudium « eo pavore offusum ut identidem interrogaret, an ipse imperii potens, an Silius privatus esset » et Messalinam eo provectam audaciae, ut « simulacrum vindemiae per domum celebraret », Bedriacenses campos laceris corporibus, truncis artibus, putridis virorum equorumque formis foedissimos et in parte viae quam « lauru rosaque Cremonenses constraverant » exstructa altaria in quibus « regium in modum » victimae caedebantur [1]; aut in una verborum continuatione Caecinam versicolore sagulo indutum et eos apud quos contiones habet toga vestitos : « Ornatum ipsius municipia et coloniae in superbiam trahebant, quod *versicolori sagulo bracas indutus togatos adloqueretur* [2]. »

Ut contraria contrariis saepe ita a Tacito opponerentur, ipsarum rerum quae enarrandae erant natura postulabat. Nam, ut de virtutibus et de vitiis tantum loquar, nemo fere Caesarum tempore exstitit, quin aut improbissimus esset aut contra probissimus; aberant mediocres; principes alii, ut Tiberius, superbiae et saevitiae, alii, ut Ger-

1. H., I, 35-36; A., II, 75; XI, 31; A., II, 70.

2. H., II, 20. Confer A., I, 65 : « Nox per diversa inquies, cum *barbari* festis epulis, laeto cantu aut truci sonore subjecta vallium ac resultantes saltus complerent, *apud Romanos* invalidi ignes, interruptae voces, atque ipsi passim adjacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quam vigiles. » Confer etiam locum jam laudatum p. 53 : « Ingerunt desuper... », sumptum ex *Historiis*, II, 22.

manicus, comitatis et mansuetudinis exemplaria fuerunt; mulieres aliae, ut Messalina et Agrippina minor, turpissimae libidinis, aliae, ut Stoicorum illae uxores, perfectissimae pudicitiae documenta; reorum hi ab interfectoribus vitam ignavissime deprecabantur, illi tantam prae se ferebant fortitudinem, ut omnibus artibus tremerent qui erant percussuri [1]; servorum hic domini caput minima pecunia vendebat, illi ne tormentis quidem admotis ulla vox exprimebatur quae domino noceret. Quid, quod in exercitibus legionarii et barbari auxiliares iisdem vexillis pugnabant, in Urbe Graeci et Latini permixti vivebant, in Caesaris domo praetoriani certabant cum libertis, qui plus possent apud principem, in templis dii ex Oriente advecti contendebant cum diis patriis, quibus plures victimae afferrentur, in re publica libertatis nomina cum moribus dominationis audacter conjungebantur? Itaque cui jam mirum videbitur contraria contrariis saepissime opposita esse ab iis qui saeculi quo contrariis contraria semper opponebantur res perscripserunt? Quod si interdum putidius fecerunt, ut eorum libri rhetorum officinas redolerent, nemo dubitabit, quin culpa in eos conferenda sit apud quos pueri assederant. Nonne luce clarius est illum Taciti locum in quo Romae oppugnatio narratur propius ad Senecae majoris artem quam ad historiae fidem accedere? « Saeva et deformis urbe tota facies : alibi proelia et vulnera, alibi balineae popinaeque; simul cruor et strues corporum, juxta scorta et scortis similes; quantum in luxurioso otio libidinum, quidquid in acerbissima captivitate scelerum,

1. A., XV, 67.

prorsus ut eandem civitatem et furere crederes et lascivire [1]. »

Sed cum et rerum natura et rhetorum disciplinis magna ex parte explicaveris, cur ad contraria contrariis opponenda propensior fuerit Tacitus, quid erit reliquum? Ut animadvertas non minus fere ad id propensos fuisse eos qui iisdem temporibus res romanas in marmore insculpebant, vel potius non minus ad id propensos esse solere omnes qui aliquid insculpunt in marmore. Iterum igitur erit concludendum non tam in pingendi quam in sculpendi arte praestitisse Tacitum. Sed ita in hac praestitit, ut fere omnes suae aetatis militares, publicas, privatas res optime expresserit.

1. H., III, 83.

CAPUT QUARTUM

CUM QUIBUS POTISSIMUM SCRIPTORIBUS TACITUS SIT COMPARANDUS

CONCLUSIO

I

Ex veteribus rerum scriptoribus tres omnino sunt a quibus Tacitus de arte scribendi praecepta petiit, Livius, Sallustius, Thucydides.

Cum Taine dicit : « Tacitus non solum singulas res in singulas includit sententias, easque brevissimas, ut Sallustius; sed etiam cunctas quae inter se cohaerent sententias una devincit comprehensione, ut ne Livius quidem sit amplior », credere videtur Taciti genus dicendi ex Sallustii et Livii generibus una mixtis constare [1]. Sed non ita prorsus res se habet.

A Sallustio Tacitus didicit, cum quibus modis enuntia-

1. « Non seulement Tacite ramasse les idées particulières en phrases brèves et concises, comme Salluste; mais encore, il les relie sous une idée dominante en une période unique souvent aussi large que celle de Tite-Live. » *Essai sur Tite-Live*, 1re éd., p. 313.

tum brevius fieri posset, tum quousque pertineret vis infinitivi. Artem vero verborum ita componendorum, ut in uno amplissimo ambitu quaeque sententia vim haberet singularem, simul autem cunctae inter se apte conjungerentur, accepit a Thucydide : quod tamen dicendi genus Thucydides, non tam, ut Tacitus, in narrationibus quam in orationibus frequentat. A Livio autem ad depingendum, si non institutus, at certe incitatus est; nam ex Livio quaedam excerpi possunt quae ad Taciti artem accedant, sive nescio quod simulacrum verbis imitari videtur : « *Male sustinenti arma gladium superne jugulo suffigit* », sive iisdem fere similitudinibus, quibus Tacitus, utitur : « Jumenta... nivem... penitus perfringebant; ut pleraque, *velut pedica capta*, haererent in durata et alte concreta glacie [1] », sive interdum totam sententiam translationibus illustrat, itaque picturam ex eo efficit quod non cadit sub aspectum [2].

Sed Tacitus, quamquam aliquid cuique debet, neque cum Livio, neque cum Sallustio, neque cum Thucydide (de arte tantum loquor), proximam habet cognationem. Quibus, etiamsi sescenta alia largitus eris, nunquam divinum illud quo Tacitus est praeditus ingenium concedes : nec poetae, nec pictores existimandi sunt. Quod facillime demonstrari potest, et quidem, cum Tacitus et similem saepe materiam tractaverit et ipsos imitatus sit, mathematicorum ratione, qua Taine uti solebat. Quemadmodum enim perargutus ille scriptorum judex de Livio Polybium imitante dicebat : « Si Polybium e Livio detraxeris, quod relinquetur Livii

1. I, 25; XXI, 36.
2. Vide exempla a Taine prolata, *Essai sur Tite-Live*, 1re édit., p. 306-307.

erit ingenium, id est ars narrandi [1] », ita nosmet eodem modo dicere possumus : « E Tacito Thucydidem, Sallustium, Livium detrahe : quod relinquetur, Taciti erit ingenium, id est ars depingendi. »

Nam excerpe e Thucydide notissimam illam pugnae apud Epipolas noctu commissae narrationem. Dein excerpe e Taciti *Historiis* proelii cujusdam, quo Vitelliani cum Flavianis noctu conflixerunt, narrationem. Post illam ex hac detrahe : quid supererit? Nihil fere nisi id ipsum quod in Taciti narratione maximam movet admirationem : « Neutro inclinaverat fortuna, donec adulta nocte luna surgens ostenderet acies falleretque. Sed Flavianis aequior a tergo; hinc majores equorum virorumque umbrae, et falso, ut in corpora, ictu tela hostium citra cadebant : Vitelliani adverso lumine conlucentes velut ex occulto jaculantibus incauti offerebantur [2]. »

Nunc in mediam ponatur ille Sallustii locus in quo refertur, quam « inertem », quam « imbellem », quam periculi laborisque patientem exercitum a Sp. Albino Metellus acceperit, quanta vero temperantia, quanta virtute mili-

1. « Otons Polybe de Tite-Live; ce qui reste est le talent de Tite-Live, c'est-à-dire l'art de raconter. » *Op. laud.*, p. 266.

2. Thucydides, VII, 44; Taciti *Historiae*, III, 22-23. Hae duae narrationes jam a Dubois-Cuchant comparatae sunt (*Tacite et son siècle*, Paris, 1861, t. II, p. 515-516). Idem existimat Tacitum cum in eadem narratione scripserit : « Lateque cladem intulisset, ni duo milites praeclarum facinus ausi », etc., Vergilii Nisum et Euryalum in memoria habuisse. Mihi hunc quoque Sallustii locum Tacitus imitatus esse videtur : « Ceterum facies totius negotii *varia, incerta, foeda* atque miserabilis;... nihil consilio neque imperio agi, fors omnia regere » (*Jugurtha*, LI), cum in eadem narratione scripsit : « Proelium tota nocte *varium, anceps, atrox*, his, rursus illis exitiabile; nihil animus aut manus, ne oculi quidem provisu juvabant. »

tem mox fecerit oboedientiorem : « Sed neque muniebantur, neque more militari vigiliae deducebantur ; uti cuique lubebat, ab signis aberat ; lixae permixti militibus diu noctuque vagabantur et palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum praedas certantes agere eaque mutare cum mercatoribus vino advecticio et aliis talibus... Transvorsis itineribus [Metellus] cotidie castra movere, juxta ac si hostes adessent vallo atque fossa munire, vigilias crebras ponere [1]... » Quid huic narrationi addendum est, ut Taciti esse videatur? Nihil fere aliud quam tria aut quattuor verba, sed ea quae milites ducemque nobis ponant ante oculos : « Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum quam contra perfidiam hostium erat... Satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos qui non stationem, non vigilias inissent, vallum fossamque quasi nova et mira viserent, *sine galeis, sine loricis, nitidi* et quaestuosi, militia per oppida expleta... Ipse, *cultu levi, capite intecto*, in agmine, in laboribus frequens adesse ; laudem strenuis, solacium invalidis, exemplum omnibus ostendere [2].

Quod si alia proferenda sunt exempla, legantur deinceps hi duo loci ; de quibus disseramus non est necesse, ut intellegatur alterum esse ejus qui narrare valeat : « Intempesta nocte de improviso multitudine Numidarum Auli castra circumvenit. Milites romani, perculsi tumultu insolito, arma capere alii, alii se abdere, pars territos confirmare, trepidare omnibus locis ; vis magna hostium, caelum nocte atque nubibus obscuratum, periculum anceps ; po-

1. *Jugurtha*, XLIV-XLV.
2. A., XIII, 35.

stremo fugere an manere tutius foret, in incerto erat [1] »; alterum vero, ejus qui valeat depingere : « Animadversum id Germanis et insidias composuere : electa nox atra nubibus, et prono amne rapti nullo prohibente vallum ineunt. Prima caedes astu adjuta : incisis tabernaculorum funibus suismet tentoriis coopertos trucidabant. Romani, vulneribus exciti, quaerunt arma, ruunt per vias, pauci ornatu militari, plerique *circum brachia torta veste et strictis mucronibus* [2]. »

Non multa igitur Sallustio essent addenda, ut in Tacitum converteretur; sed quae addenda essent, ea ipsa sunt ex quibus totus constat Tacitus. Non aliter autem Livius esset mutandus, ut Tacitus fieret. Nam, quamquam non necesse est nostro Taine demus totum Livii ingenium esse oratorium, illi certe assentiendum est dicenti : « Livium in narrationibus vehementer legentium animos permovere, sensus vero multo minus; rarissime in rebus formam, colorem et quidquid sub aspectum cadit ostendere, sed verissime describere, quomodo animi variis motibus perturbentur; nec eum esse qui res gestas sub oculos ponat, sed qui nostrum animum apte ad rerum gestarum naturam semper afficiat »; aut, si quando verbis utatur quae res depingere videantur, ea reapse nihil depingere, ejusmodi enim esse, « ut digna non sint quae usquam ponantur, quia ubique poni possint [3] ». Nam vide, ut tibi a Livio narretur

1. *Jugurtha*, XXVIII.
2. H., V, 22.
3. « Les sens du lecteur ne sont pas très émus, mais son cœur l'est beaucoup... La narration [de Tite-Live] montre rarement dans les objets la forme physique ou la couleur sensible, mais elle décrit avec force

Romae, pervulgata Caudina pace, « in omnem formam luctus esse consensum » : « Extemploque, sine ulla publica auctoritate, consensum in omnem formam luctus est. *Tabernae circa forum clausae* justitiumque in foro sua sponte coeptum, priusquam indictum; *lati clavi, anuli aurei positi;* paene maestior exercitu ipso civitas esse », etc. Cur his verbis parum moveris? Quod non fuit ostendendum, in quo justitium illud ceteris justitiis simile fuisset, sed in quo fuisset dissimile, ideoque non tam fuit dicendum « tabernas esse clausas, latos clavos positos », quam fuit efficiendum ut sentires, *quanto consensu, quanta celeritate* haec omnia facta essent. Quod mire efficiunt in hac Taciti narratione verborum sonus et compositio : « Hos vulgi sermones, audita mors [Germanici] adeo incendit, ut *ante edictum magistratuum, ante senatus consultum*, sumpto justitio, *desererentur fora, clauderentur domus*; passim silentia et gemitus, nihil compositum in ostentationem; et, quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis maerebant [2]. »

Esse tamen interdum quaedam apud Livium quae res ante oculos ponere possint, concesserim. Sed unum est quod semper in eo desideratur ut egregius pictor existimetur. Idque apparebit ex hac notissima narratione :

et vérité le jeu dramatique des passions... Au lieu de mettre les événements sous nos yeux par des images, l'imagination oratoire [de Tite-Live] les rend sensibles à notre âme par des émotions... Que de fois, dans les dix premiers livres, ne revoit-on pas la même bataille! Les cavaliers ôtent la bride à leurs chevaux, etc. Ces détails vrais, mais communs, ne méritent d'être mis nulle part, parce qu'ils peuvent être mis partout. » *Op. laud.*, p. 253, 317, 250, 244.

1. IX, 7.

2. A., II, 82.

« Haec frementibus hora fatalis ignominiae advenit, omnia tristiora experiundo factura, quam quae praeceperant animis. Jam primum cum singulis vestimentis inermes extra vallum exire jussi; et primi traditi obsides atque in custodiam abducti; tum a consulibus lictores abire jussi; paludamentaque detracta;... primi consules prope seminudi sub jugum missi; tum, ut quisque gradu proximus erat, ita ignominiae objectus; tum deinceps singulae legiones. *Circumstabant armati hostes*, exprobrantes eludentesque; gladii etiam plerisque intentati [1]... » Nihil certe excogitari potest quod legentium animos vehementius moveat; sed Tacitus facillime invenit quod oculos magis caperet; cum enim cladem quandam Caudinae cladi simillimam narraret, res in unam sententiam ita collegit, ut Romanorum indecora signa fulgentibus hinc inde hostium vexillis euntia ostenderet : « Haec meditantibus advenit proficiscendi hora expectatione tristior; quippe intra vallum deformitas haud perinde notabilis : detexit ignominiam campus et dies. *Revulsae imperatorum imagines, indecora signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis*; silens agmen et velut longae exsequiae [2]... »

Brevissima sunt haec exempla, sed multum probant : si Tacitus, non cum omnibus veteribus, sed tantum cum veteribus rerum scriptoribus comparabitur, non jam optimus, sed solus pingendi artifex vocandus erit.

1. IX, 5.
2. H., IV, 62.

II

Recentibus rerum scriptoribus propior est, et inter eos Saint-Simon et Michelet. Non quo res simili modo describant, sed quod eadem rerum videndarum facultate sunt praediti. Nam Saint-Simon is fuit, ut Tacitus, qui res tricesimo anno postquam gestae essent, tam aperte discerneret quam si etiamtum ante oculos essent positae. Micheletque is fuit, ut Tacitus, qui sibi egregie depingeret vel ea quibus nunquam interfuisset. Quare omnes historiae partes, ut Tacitus, convertit in quasdam picturas, sed praesertim narrationes. In quo ita Taciti similis est, ut in easdem reprehensiones incucurrerit. Quemadmodum enim Tacito crimini datum est quod interdum facta paulum mutaret quae ad quoddam narrandi genus sponte sua non se accommodarent, sic prudentissimus quidam scriptorum existimator idemque facetissimus de Michelet salsissime dixit « eum ad res videndas admirabilem fuisse, sed ita tamen ut res melius videret cum aliquid addidisset [1] ». Et sicut egregii quidam judices Tacitum accusarunt quod rerum temporumque ordinem saepe male ostenderet, ita Michelet nostro objectum est, quod tenorem in narrationibus non servaret [2]. Talia dicentibus licet non assentiri; scri-

1. « Admirable pour voir les choses, mais les voyant mieux dès qu'il y a ajouté. » E. Faguet, *Études sur le XIX^e siècle*, Paris, Lecène et Oudin, p. 356.

2. « Je ne crois pas qu'il ait raconté, dans le sens ordinaire du mot, une bataille, une entrevue, une anecdote... Il y a ici un vrai défaut. Souvent la suite des temps, la série des événements se brouille à nos yeux. Nous perdons avec lui le sentiment de la continuité. » Faguet, *op. laud.*, p. 379.

ptoris vero utriusque narrationes picturis esse finitimas, nemo negabit.

Sed, etsi res ita narrant ut legentium oculos capiant, unum tamen sensum dissimili genere delectant.

Non quo sint semper inter se dissimillima haec duo genera. Omnia enim sunt in omnibus, ut Racine interdum in Victore Hugo, Corneille in Racine. Transfer haec in latinum : « Donc plus de crimes, et tout permis. L'horreur du sac des villes et les affreuses joies qui suivent l'assaut renouvelées tous les jours sur les villages tout ouverts et des familles sans défense. Partout l'homme abattu, blessé, tué. Partout des cris, des pleurs » : a Tacito sumpta esse videbuntur : « Igitur nullum jam scelus, sed cuncta permissa. Direptarum urbium horror et saevissima gaudia quae impugnationes sequuntur in apertis pagis et inermibus domibus cotidie repetita. Ubique homines afflicti, vulnerati, occisi. Ubique clamores, fletus. » Transfer haec in nostrum sermonem : « Silens agmen et velut longae exsequiae : dux Claudius Sanctus effosso oculo dirus ore, ingenio debilior [1] » : a Michelet sumpta esse videbuntur : « L'armée silencieuse et comme de longues funérailles; le chef Claudius Sanctus, un œil crevé, le regard farouche, l'esprit faible [2]. »

Sed ex hoc non potest effici quod in latinam linguam conversum Taciti esse dicas : « Restabat ipsa Hispania, peditatus ille, *ut ingens her ex hastis, in quo non erat quod morderi posset*... Est nunc in Etruria. Non imbres, nec

1. H., IV, 62.

2. Michelet non solum conjunctiones, sed « verba » saepissime adimit; concitata, fracta, salebrosa oratione semper utitur.

vernae nives eum tenuerunt; ne seditiones quidem tenent; vita est in periculo; aut vivus, aut mortuus, ibit : *est ut lapis a Fato conjectus*... Illud Sequanam circum Lutetiam amoenissimam reddit, quod incerta est, pigra et languida incedit, ut ea quae libere iter faciat et satis habeat temporis ad finem attingendum... Tamen post cyclopea moenia urbium pelasgicarum appropinquans periculum audiebant. Ligures usque ad Arnum processerant. Galli Apenninum magno clamore, *ut turba luporum*, scandebant, *barba fulva e superiore labro pendente, oculis caeruleis*, quod perhorridum est iis qui meridianas incolunt regiones [1]. » Nec plura, nec longiora loca proferri, necesse est; nam ex minimis rebus maxima concludi possunt. Omnis nostri Michelet ars (quae quantum distet a Tacito, quis non videt?) his exemplis continetur : sunt enim ejus qui et verba ex alto transferre soleat, et in locis, ut in hominibus, praestet depingendis, et in hominibus describat, non solum quod temporis cujusque est (ut stent, ut manum porrigant, ut corpus moveant), sed etiam quod est naturae (quo sint ore, qua barba, quibus oculis).

Rursus ex hoc non potest effici, quod in gallicam linguam conversum nostri Michelet esse dicas : « In sua con-

1. « Restait la vraie Espagne, la fameuse infanterie, *comme un gros hérisson de piques, où on ne mordait pas*... Le voici en Toscane. Les pluies, les neiges du printemps ne l'ont pas arrêté. Les révoltes mêmes ne l'arrêtent pas. Sa vie est en péril; mort ou vif, il ira : *il est comme une pierre lancée par la fatalité*... L'aimable caractère de la Seine autour de Paris, c'est son indécision, son allure molle et paresseuse de libre voyageuse qui se soucie peu d'arriver... Cependant derrière les murs cyclopéens des villes pélasgiques, ils [les Etrusques] entendaient le péril s'approcher. Les Liguriens avaient poussé jusqu'à l'Arno; les Gaulois gravissaient à grands cris l'Apennin, *comme des bandes de loups, avec leurs moustaches fauves et leurs yeux d'azur*, si effrayants pour les hommes du Midi. »

tione Vitellius, inter suos milites, prospectantibus etiam feminis, pauca et praesenti maestitiae congruentia locutus, cedere se pacis et reipublicae causa, retinerent tantum memoriam sui fratremque et conjugem et innoxiam liberorum aetatem miserarentur, simul filium protendens, modo singulis, modo universis commendans, postremo fletu praepediente adsistenti consuli exsolutum a latere pugionem, velut jus necis vitaeque civium, reddebat [1]. » Omnis Taciti ars (quae quantum distet a Michelet, quis non videt?) hoc continetur loco : est enim ejus qui rerum vocabula maxime propria eligat, qui verba ita continuet ut totum spectaculum uno conspectu complectamur, qui narrationis partes optimo ordine disponat, qui fere nihil aliud describat nisi quod significet quo motu, prout tempus fert, hominum animi afficiantur.

Ut autem ab alterutro magis delectari licet, ita neuter pluris aestimandus est (de arte tantum loquor : uter minore cum studio, minore cum ira res narraverit, uter hominum animos altius introspexerit quaerere a re nostra alienum est). Nam inter se ita dissimillimi sunt ut sit uterque in suo genere princeps. Duo enim sunt propter quae in sua arte Tacitus primas obtinet. Unum est quod, quamquam omnis ejus ars in eo est ut verba et bene eligat et bene disponat, tanta tamen usus est varietate, ut nullus fere sit apud eum verborum ambitus qui ullius nisi sui similis sit. Sed nequaquam inferior in sua arte Michelet putabitur; nam quamquam ejus ars praesertim ex translationibus et comparationibus constat, miram in

1. H., III, 68.

eis consequitur varietatem : aliae ex hominum cotidiana consuetudine, aliae ex animalium moribus, aliae ex locorum natura ductae sunt; sunt quae ab Homero, sunt quae a Dante sumptae esse videantur : « Velut naufragi aut pueri modo nati, nudi Genavam attingebant, nihil nisi sorditata, jejuna, saepe excruciata corpora adferentes. Alii semper adveniebant : quibus dilapsis, veniebant alii. Erat quasi umbrarum torrens; mortuos diceres ad Josaphat vallem gregatim convenientes [1]. » Alterum in Tacito mirandum est, quod, quamquam artem angustissimis terminis saeptam exercebat, tot res tractavit tamque varias : quid enim omisit, quod ad militares, privatas, publicasque res suae aetatis pertineret? Sed non inferior Michelet, qui, ut Tacitus in insculpendo, ita in depingendo tot res tamque varias attigerit et in locis, ut in hominibus, exprimendis praestiterit : « Le roi était enterré dans un habit de velours noir, la tête chargée d'un chaperon écarlate, aussi de velours. Les princes traînaient derrière sournoisement et le laissaient seul, afin, disaient-ils, de lui faire moins de poussière. Seul il traversait les ennuyeuses forêts du Maine, de méchants bois pauvres d'ombrage, les chaleurs étouffées des clairières, les mirages éblouissants du sable à midi. » Qua tabula quemadmodum nihil est apud Tacitum quod pluris facias, ita multa sunt quae in suo genere non minoris aestimes, nec tamen ei similia sunt; ut multa sunt

1. « Comme des naufragés, ou comme l'enfant qui vient de naître, ils abordaient nus à Genève, n'apportant que leur corps mal vêtu, affamé, souvent martyrisé. Toujours de nouveaux arrivants. Ils s'écoulaient, d'autres venaient. C'était un torrent de fantômes; on eût dit la marche des morts vers la vallée de Josaphat. »

apud Saint-Simon quae non inferiora habenda sunt quam laudatissimi Taciti loci, nec tamen eis sunt similia.

Etenim Saint-Simon, quamquam ad Tacitum prope accedit oculorum acumine, solita autem animi tristitia accedit etiam propius, arte tamen tantum ab eo distat quantum ipse Michelet. Non solum in hominum effigie exprimenda praesertim excellit (in quo jam a Tacito differt), sed in hominibus corpora praesertim depingit (in quo magis inter se differunt), immo ita depingit (in quo inter se maximo distant intervallo), ut eadem saepe iteret, ut parum curet partes bene disponere, ut longus sit, ut splendidum rebus addat colorem : Burgundiae ducis uxor « erat buccis fluentibus, fronte prominenti, labris crassis quae mordere vellent, capillo et supercilio castaneae fulvae colorem imitantibus iisdemque optime positis, oculis quibus nihil erat nec loquacius nec pulchrius, dentibus raris et omnino corruptis, colore pulcherrimo pulcherrimaque cute, pectore parvo sed mirabili, collo longiore nec sine aliqua inflatione, sed quae non dedeceret, capite quod concinne, decore, magnifice ac pariter cum oculis moveretur, risu admodum vivido, corpore infra pectus tereti, longo, gracili, venusto, incessu dearum super nubes euntium [1] ». Nihil est apud Tacitum quocum hoc

1. La duchesse de Bourgogne avait « les joues pendantes, le front avancé, de grosses lèvres mordantes, des cheveux et des sourcils châtain brun, fort bien plantés, des yeux les plus parlants et les plus beaux du monde, peu de dents, et toutes pourries, le plus beau teint et la plus belle peau, peu de gorge, mais admirable, le cou long avec un soupçon de goître qui ne lui seyait pas mal, un port de tête galant, gracieux, majestueux, et le regard de même, le sourire le plus expressif, une taille longue, ronde, menue, aisée, une marche de déesse sur les nuées ».

comparari possit, immo nihil apud veteres, nisi fortasse quaedam Suetonii.

Haud scio an nemo miraturus sit si in hunc eximiorum pictorum chorum quibuscum comparatur Tacitus, non procul a Saint-Simon et Michelet, is quoque inseratur, qui Taciti « gravitatem » magnifice laudavit nec tantum gravitatem ejus magni fecit. Ipsam enim Taciti artem Bossuet et vehementer admiratus et interdum imitatus est. Nonnulla sunt in ea *Oratione* in qua de omnium rerum memoria disserit, quae idem sonant ac pervulgatum illud « opus aggredior opimum casibus ». Sed, ut notissimum proferatur exemplum, quis dubitabit quin Bossuet, cum Principis Palatini uxorem laudaret bellumque civile a Funda dictum describeret, eum stilum mutuatus sit quo Tacitus totius operis sui rationem descripserat? Num hic verbis aptior fuit et pressior quam ille? Num contraria contrariis opponendo rebus plus lucis attulit? « Quam foedum spectaculum mihi ponitur ante oculos? Regnum a fundamentis labefactum; bellum civile, bellum externum; intus forisque incendia; undique medicinae, quae plus nocent quam mala; principes cum magno periculo comprehensi, liberati cum majore; princeps ille, qui suae aetatis virorum exemplar putabatur, patriae cujus columen fuerat inutilis factus; post, nescio quomodo, praeter suam ipse voluntatem, contra eam arma ferens; regni minister vexatus, idemque necessarius, non solum propter maxima merita, sed etiam propter aerumnas quae ad regis auctoritatem pertinebant [1]. » Nonne ex hoc loco patet

1. « Quel affreux spectacle se présente ici à mes yeux! la monarchie

Bossuet interdum, cum in latinum sermonem conversus sit, merum Tacitum esse videri?

Nec tamen inter se, quamvis in rebus cogitatione sibi depingendis alter ab altero non superetur sed uterque eximius poeta sit habendus, certa propinquitate conjuncti sunt : nam poetarum hic propior est tragicis, ille vero epicis et lyricis propior.

Epicis proximus est Bossuet, quod populis et regionibus suum, ut gallice dicimus, « colorem » servat. « Quo evaserunt formidolosi illi equites quos in hostem celerrime irruentes antea videres *velut aquilas*? Ubi sunt animi illi bellicosi, et celebrati *illi mallei*, et *arcus illi quos nemo frustra intentos vidit*? Nec equi rapidi sunt, nec homines callidi, nisi ut ante victores fugiant? Simul vastatur Polonia et a *seditioso Cosaco*, et ab *infido Moscovita*, et magis etiam ab ipso *Tartaro*, cujus omni spe abjecta auxilium petit. Cuncta sanguine inundantur, *nec quisquam cadit nisi in mortua corpora* [1]. » Neve dicas paucissima esse verba quae rebus colorem addant. Parvi refert esse pauca, dum

ébranlée jusqu'aux fondements; la guerre civile, la guerre étrangère; le feu au dedans et au dehors; les remèdes de tous côtés plus dangereux que les maux; les princes arrêtés avec grand péril et délivrés avec un péril encore plus grand; ce prince que l'on regardait comme le héros de son siècle rendu inutile à sa patrie, dont il avait été le soutien, et ensuite, je ne sais comment, contre sa propre inclination, armé contre elle; un ministre persécuté et devenu nécessaire, non seulement par l'importance de ses services, mais encore par ses malheurs, où l'autorité souveraine était engagée. »

1. « Qu'est devenue cette redoutable cavalerie qu'on voit fondre sur l'ennemi avec la vitesse d'un aigle? Où sont ces âmes guerrières, ces marteaux d'armes tant vantés, et ces arcs qu'on ne vit jamais tendus en vain? Ni les chevaux ne sont vites, ni les hommes ne sont adroits que pour fuir devant le vainqueur. En même temps la Pologne se voit ravagée par le rebelle Cosaque, par le Moscovite infidèle et plus encore par le Tartare, qu'elle appelle à son secours dans son désespoir. Tout nage dans le sang et on ne tombe que sur des corps morts. »

multum valeant. Non omnia poetae depingere possunt. Sed si nostrum animum verbis vel paucissimis opportune excitaverint, tota rerum imago sponte nobis surget ante oculos. Nonne autem hoc epicum dicendi genus « ab seditioso Cosaco, ab infido Moscovita, a Tartaro », nonne haec barbara nomina, nonne hi arcus « quos nemo frustra intentos vidit », nonne hi equites cum aquilis comparati, nonne haec verba « nec quisquam cadit nisi in corpora », mirifice efficiunt, ut asiaticum quoddam equitum agmen statim conspicias, armis, fortitudine, saevitia barbarum?

Lyricis proximus est Bossuet et verbis illis audacissime translatis et splendidissimis illis sententiarum ornamentis, quibus, dum res describit, simul exprimit, quomodo rerum conspectu ipse moveatur; eorumque exempla proferre nihil attinet. Ad lyricos accedit hoc quoque quod verba eligit ad sonum exquisita. Sed longius progrediar. Non solum apud Bossuet saepius quam apud ipsum Tacitum cuique verborum ambitui sua, ut ita dicam, facies datur, ut acris, incitata, praeceps oratio sit, cum Condé huc illuc volitans est ostendendus, contra gravis, lenta, solida, cum Hispanus pedes est depingendus; sed etiam verborum ambitus quisque fulgure quodam terminatur, quo totus illuminatur; quod apud lyricos saepissime inveniri satis constat [1] : « Vix ardorem quo ipse incensus erat per ordines attulit, cum fere simul cernitur dexterum hostis cornu impellens, nostrum labefactum sustinens, Gallos jam fere victos ad signa revocans,

1. Quod de Chateaubriand dixit F. Brunetière ad Bossuet transferendum esse mihi videtur, *l'Évolution de la poésie lyrique en France au XIXe siècle*; Paris, 1894, Hachette, t. I, p. 94.

Hispanos victores fugans, in omnes partes terrorem afferens, *et micantibus oculis attonitos reddens eos qui e suis manibus excesserunt.* Restabat formidolosus ille peditatus ex Hispanis tantum collectus, cujus catervae densissimae turribusque simillimae, sed turribus quae quassata ipsae reficere valerent, in ceterorum fuga moveri non poterant, *sed flammas undique jaciebant* [1]. » Non hoc loco satis est dicere, quod supra de Tacito dicebamus, quot narrationis sint partes, tot esse verborum ambitus; nam hic audacter dicendum est, quot sint narrationis partes, tot esse « strophas », totamque narrationem ut Victoris Hugo carmina esse compositam.

III

Rem primo aspectu consideranti fortasse permirum esse videbitur Tacitum et La Fontaine a scriptore quodam inter se ob id esse comparatos « quod uterque curet ne in narrando vel minima, dum modo sint necessaria, omittantur [2] ». Sed hoc multo minus mirum esse judicabunt qui La Fontaine lectitaverint. Immo admirabuntur alia, eaque majoris momenti, non esse reperta propter quae Tacitus

1. « Aussitôt qu'il eut porté de rang en rang l'ardeur dont il était animé, on le vit presque en même temps pousser l'aile droite des ennemis, soutenir la nôtre ébranlée, rallier les Français à demi vaincus, mettre en fuite l'Espagnol victorieux, porter partout la terreur, *et étonner de ses regards étincelants ceux qui échappaient à ses coups.* Restait cette redoutable infanterie de l'armée d'Espagne dont les gros bataillons serrés semblables à autant de tours, mais à des tours qui sauraient réparer leurs brèches, demeuraient inébranlables au milieu de tout le reste en déroute, *et lançaient des feux de toute part.* »

2. Vide p. 2, n° 3.

cum La Fontaine conferendus esset. Nam fere quidquid de alterius arte diximus transferri potest ad alterum.

Nam et ipse La Fontaine, quae uno conspectu amplectitur, ea in unam verborum comprehensionem includere solet :

> Un pauvre Bûcheron, tout couvert de ramée,
> Sous le faix du fagot aussi bien que des ans
> Gémissant et courbé, marchait à pas pesants
> Et tâchait de gagner sa chaumière enfumée.

Simul, quamquam suam cuique verborum ambitui faciem dat, ut totius spectaculi naturam aperte intellegamus, tamen efficit ut singulae partes inter se bene secernantur, sive non mutato syllabarum numero sonus mutatur :

> Un agneau se désaltérait
> Dans le courant d'une onde pure;

sive versus idem non eodem modo dividitur :

> Un mort | s'en allait | tristement
> S'emparer | de son dernier gîte;
> Un curé | s'en allait | gaiement
> Enterrer ce mort | au plus vite :

```
2     3     3
   3     5
3     3     2
   5     3
```

Dein res et vocabulo maxime proprio quoque designat et notat eodem ordine quo ipsi eas perspiceremus si ante oculos nostros positae essent. Mire enim ostenditur, in exemplo paulo ante prolato, primum nescio quem ramo-

rum acervum in media esse silva, dein inclinatum esse hunc acervum et gemere, post hominem esse qui gemat eumque tardo gradu incedere, postremo eum ad tugurium contendere in ultima silva positum quod ex fumo cognoscatur. Nec minus mire rivulus nobis proponitur ante columbam, agnus vero ante fontem, via ante equos, equi vero ante currum :

> Un agneau se désaltérait
> Dans le courant d'une onde pure.
>
> Dans un chemin montant, sablonneux, malaisé
> Et de tous les côtés au soleil exposé
> Six forts chevaux tiraient un coche.

Talia non suscipit Tacitus depingenda, sed non aliter depingit quae suscipit. Quamobrem (quamvis La Fontaine interdum longe dissimili arte utatur) non negandum est certissima eos cognatione inter se conjunctos esse.

Sed quid mirum si ii eodem modo stilum tractant, qui ex ejusdem magistri ludo exierunt? Si enim ab aliquo La Fontaine doctus est, quanti referret verba apte collocari, quis hoc ei monstravit, nisi qui pervulgatum illum scripsit versum?

> *Montesque* per altos
> Contenta *cervice* trahunt stridentia *plaustra* [1].

Si autem Tacitus ante La Fontaine eandem artem accepit ab aliquo, quis hanc ei tradidit, nisi qui effecit ut miro quodam ordine conspiceremus primum equos, dein inanem

1. G., III, 536.

currum, post viri corpus resupinum, post manus lora tamen tenentes, post comam quae per terram trahitur, postremo hastam qua pulvis inscribitur?

> Infelix puer...
> Fertur *equis, curru*que haeret *resupinus* inani,
> *Lora tenens* tamen; huic *cervixque comaeque* trahuntur
> Per terram et versa pulvis inscribitur *hasta*[1].

En vero quae intuens Tacitus singulorum hominum simulacra pingebat :

> Dira solo fixos oculos aversa tenebat.

> Celsa sedet Aeolus arce
> Sceptra tenens.

> Dederatque comam diffundere ventis
> Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes[2].

En quae sibi proponens imitanda binorum ternorumve hominum simulacra ex eodem marmore ducebat :

> Constitit in digitos extemplo arrectus uterque
> Bracchiaque ad superas interritus extulit auras.

> Ipse uno graditur comitatus Achate
> Bina manu lato crispans hostilia ferro[3].

En quae sibi assumens in exemplum virorum exsequias aliasque ejusmodi res in saxo insculpebat :

> Interea ad templum non aequae Palladis ibant
> Crinibus Iliades passis peplumque ferebant
> Suppliciter tristes et tunsae pectora palmis[4].

1. A., I, 318-320.
2. A., I, 482, 56, 319.
3. A., V, 426; I, 313.
4. A., I, 479.

Immo, quemadmodum multa sunt apud Tacitum (ut paulo ante animadvertimus) quae tibi Trajani columnae memoriam ilico referant, ita multa sunt apud Vergilium in quibus nescio quas statuas imitari voluisse videtur. Nam, ut notissimum illum omittam Laocoonta, quot nobis athletas, quam eximia arte confectos in quinto Aeneidos libro reliquit!

Ostenditque umeros latos alternaque jactat
Bracchia protendens, et verberat ictibus auras.

Haec fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque
Exuit atque ingens media consistit arena [1].

Nihil aliud igitur Tacitus est nisi Vergilius quidam in solutam orationem translatus? Minime. Nam alter alteram tractavit materiam et alter ab altero saepissime hoc distat, quod Tacitus simulacra jam confecta nobis ponit ante oculos : « Jam in mortem centurioni ferrum destringenti protendens uterum « ventrem feri » exclamavit », Vergilius vero simul atque conficiuntur :

*Implicuit*que coma laevam, dextraque coruscum
Extulit ac lateri capulo tenus *abdidit* ensem [2].

Tacitus ergo non merus Vergilius est, sed Vergilius quidam qui propius ad fingendi et insculpendi artem accedit. Itaque procul ab iis evocandus est qui pictoribus, ut Michelet, ut Saint-Simon, sunt cognati. Quod clarius etiam apparebit, postquam cum Racine in Britannici

1. A., V, 375, 421.
2. A., II, 550.

morte depingenda collatus erit. Nam, cum ab eo ipso, a quo omnium veterum optimus pictor vocatus est, aliquando in exemplum sit assumptus, nonne nostrum est utrumque hoc loco comparare?

Britannici morte omnes qui aderant obstupefacti sunt. Non quo quisquam ignoraret qua invidia Aenobarbi filius Claudii filium prosequeretur. Immo plerique timebant ne tantum odium nihil nisi caedes expleret. Ac nescio an quidam, eo ipso die quo princeps interfectus est, veriti sint ut cena ad quam vocati erant sine sanguine absolveretur. Sed venenum tam sollerter infusum est, principis artus tam festinanter pervasit, ut, cum ei spiritus ereptus est, cuncti attoniti manerent. Nonne autem stupent ii quoque qui Taciti narrationem legunt? Nam, quamquam *Annalium* tertii decimi libri sextum decimum caput legere incipientibus patet prope esse ut ultimae tragoediae parti intersint, tamen dum haec legunt : « Innoxia adhuc ac praecalida et libata gustu potio traditur Britannico; dein postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua adfunditur venenum », num putant fore ut posterioribus verbis Britannicus spiritu carens sibi offeratur? « ... venenum, quod ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox pariter et spiritus raperentur ». In eo igitur fuit ars Taciti, ut veneni effusionem et Britannici extremum spiritum, *sublatis iis quae interim facta sunt*, uno verborum ambitu exponeret.

Interempto Britannico, « trepidatur a circumsedentibus ». Diffugiunt alii, alii resistunt et Neronem intuentur. Illos duo verba a nostris oculis celerrime procul removent; hos plurium verborum ambitus, et ita dispositorum ut par-

ticipiis terminetur, efficit ut nobis ante oculos diu remaneant : « Diffugiunt imprudentes; at quibus altior intellectus resistunt defixi et Neronem intuentes. » Unius Neronis non perturbatur animus; testimonio est, quod nec corpus movetur : « Ille ut erat reclinis et nescio similis », *nec* (idque praesertim notandum est) *vox mutatur*; quare, ut intellegas, quam tranquilla voce de Britannici morbo quaedam explicaverit, ea Tacitus refert *obliqua oratione* : « Ille, ut erat reclinis et nescio similis, solitum ita ait per comitialem morbum, quo prima ab infantia afflictaretur Britannicus, et redituros paulatim visus sensusque. »

Quam narrationem Racine nullo modo assecutum esse omnes fere uno ore affirmabant qui initio hujusce saeculi scripta judicabant. Praecipue ei vitio vertebant, quod de cibis a ministro exploratis, de praecalida potione Britannico tradita, de veneno frigida in aqua affuso, ne unum quidem verbum fecisset. « Sive talia despiciebat, inquit eorum unus, sive versibus exprimere non poterat, hoc unum expressit, quomodo affecti essent animi eorum qui circum sedebant [1]. » Quam caeci qui non viderent quare ex eo quem Racine imitabatur quaedam essent mutanda! Rem enim sic narrat Tacitus, ut narrare debuit qui multo post fuit, qui certos habuit auctores, ad quem ipsum non pertinebat mors Britannici. Narratur contra res apud Racine ab eo qui ipse sceleri interfuit, nec scit tamen quomodo sit paratum; isque eam alloquitur cui haec caedes calamitatem portendit. Quam igitur absurdum fuisset, si id Ra-

1. « Soit dédain pour ces circonstances, soit difficulté de les exprimer en vers, Racine les a négligées dans le récit de Burrhus et se borne à rendre l'effet moral de l'empoisonnement sur les spectateurs. » Sainte-Beuve, *Portraits littéraires*, t. I, p. 83.

cine rettulisset quod eae quas inducit personae ignorabant aut de quo nihil laborabant! Quam ineptum, si nos docuisset principum liberos cum ceteris idem aetatis nobilibus sedentes vesci cibosque Britannici delectum ex ministris gustu explorare! Nisi forte Agrippinae exponenda erant quae ante ipsius oculos cotidie fieri solebant; aut tragoediae ita tractandae sunt ut personae, dum inter se loqui videntur, reapse loquantur cum spectatoribus et de rebus gestis historicorum more disserant[1]!

Quid quinti actus initio sibi velit Burrhus, nobis in memoriam redeat. In Neronis gratiam Britannicum se reduxisse existimat. It ad cenam in qua alter alterius accepturus est jusjurandum. Quid igitur ei curae erit? id unum quod principes sunt aut acturi aut dicturi. Nihil nisi principes animadvertet; sed principum ne minimus quidem gestus, ne minimum quidem verbum eum fugiet. Neronem aspiciet surgentem, fratrem complectentem, poculum sumentem; loquentis orationem tam attente audiet, ut ipsa verba referre possit :

> A peine l'empereur a vu venir son frère,
> Il se lève, il l'embrasse, on se tait, et soudain
> César prend le premier une coupe à la main.
> « Pour achever ce jour sous de meilleurs auspices,
> Ma main de cette coupe épanche les prémices,
> Dit-il. Dieux que j'appelle à cette effusion
> Venez favoriser notre réunion. »

Dein Narcissum aspiciet venenum in poculum infundentem, Britannicum id ad os admoventem, oculis lumen

1. Quod in tragoediis romanticis quas dicimus saepe evenit : « Tiens, voilà un bon de dix écus noble rose. *Fais bien attention* que la noble rose n'est pas démonétisée comme l'écu sol et le ducat polonais et qu'elle vaut douze livres. » *Henri III et sa cour*, acte I, sc. 3.

ereptum, corpus in lectum delapsum. Haec omnia puncto temporis confecta sunt, sed nihil eorum non poterat Burrhus discernere :

> Par les mêmes serments Britannicus se lie.
> La coupe dans ses mains par Narcisse est remplie,
> Mais à peine ses lèvres en ont touché les bords,
> Le fer ne produit pas de si puissants efforts,
> Madame, la lumière à ses yeux est ravie,
> Il tombe sur son lit sans chaleur et sans vie.

Quid est concludendum nisi ea quae Taciti narrationem vividam reddunt, ab Racine narratione nequaquam abesse? Hic igitur in rebus depingendis non fuit inferior quam ille. Immo, non fuit dissimilis.

Illud enim primo notandum est eadem a Racine depicta esse quae a Tacito :

1° Quae fuerit vis veneni : nam lucem oculis ante ereptam nobis ostendit quam corpus in lectum cadens.

2° Neronis vocem non esse mutatam, quod animi tranquillitatem apertissime significabat : nam, etsi Racine imperatoris orationem, non obliqua, ut Tacitus, sed recta oratione refert, non obliviscendum eam non esse legendam, sed a tragoedo pronuntiandam; qua autem voce in scaena sit pronuntianda, id ipso versus numero indicari quis negabit, dum modo aures non hebetiores habeat?

> Ce mal dont vous craignez, dit-il, la violence
> A souvent sans péril attaqué son enfance.

3° Quanta cura interfectores caedem paravissent; nam

Burrhus aliquid insoliti animadvertit, quo, statim post confectum scelus, cuncta mire illustrantur :

> La coupe *dans ses mains par Narcisse* est remplie.

4° Ut spectantium alii aliter se gesserint :

> La moitié s'épouvante et sort avec des cris;
> Mais ceux qui de la cour ont un plus long usage
> Sur les yeux de César composent leur visage.

Dein notandum est, non solum eadem esse depicta a Racine quae a Tacito, sed eodem fere modo :

> La coupe dans ses mains par Narcisse est remplie.
> Mais à peine ses lèvres en ont touché les bords...
> Cependant sur son lit il demeure penché...

Aliquem in his versibus esse colorem, nemo affirmabit. Non tam suppeditabunt pictoribus quod depingant quam statuariis quod fingant. Sed nonne ob id ipsum ad Taciti artem proxime accedere tibi videntur?

IV

Hoc ultimum caput scribere instituenti nequaquam mihi proposui ut quaererem quis in pingendo palma dignissimus esset. Sed, quibus finibus Taciti ingenium circumscriptum teneretur, in animo habui, apertius, si possem, definire. Non igitur necesse est cum pluribus comparetur, si jam nunc haec duo effici possunt. Primum ut si *inter*

rerum scriptores invenire volueris quos cum Tacito conferre possis, nusquam sint quaerendi nisi inter eos qui, poetarum more, praeterita ad vitam revocare, absentia tibi sub oculos subjicere valent; non ergo quaerentur inter veteres, sed inter quosdam recentium. Dein ut *inter poetas*, vel qui versibus vel qui soluta oratione usi sunt, non tam comparetur cum iis qui colorum splendore, ut Michelet, ut Bossuet, ut Saint-Simon, quam cum iis qui, ut La Fontaine, ut Vergilius, ut Racine, verbis bene eligendis et bene disponendis praestiterunt.

Nunc quam verum sit, mea quidem sententia, illud nostri Racine « Tacitus omnium veterum optimus pictor », brevissime explanari potest.

Qui Tacitum extollunt quod summus fuerit pingendi artifex et reipsa admirantur quod hominum mores optime descripserit, multum de ejus gloria detrahunt; nec scio an non id in eo laudent quod habuerit praestantissimum. Non enim solum animos, sed corpora egregie describit, nec describit animos nisi corpora describendo. Qui vero regiones, res, homines vividis « coloribus » a Tacito « pictos » semper in ore habent, alienam in eum laudem transferre mihi videntur. Non enim regiones, sed tantum homines, nec in hominibus corporum formas, sed fere tantum motus et gestus curare solet; nec is est qui colorum splendore, sed qui lineamentis subtiliter ductis et partibus bene ordinatis eniteat.

Quod si igitur haec vox pictoris ad aliquem scriptorem traducta significat eum optime efficere ut res videamus, nemo Tacito nec anteponetur inter recentes, nec fortasse adaequabitur inter veteres. Quod si autem ita intellegenda

est, ut cum iis qui « tabulas pingunt » comparandus sit, non jam pictor, sed fictor vocabitur Tacitus, optimus vero fictor, quippe qui omnes sua aetate actas tragoedias egregie insculptas nobis reliquerit.

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. xv Kal. mai. ann. MDCCCXCVI,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi
Decanus,
A. Himly.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis rector,
Gréard.

INDEX RERUM

Columbariis. — Typis Pauli BRODARD. — 307-96.

COLUMBARIIS
Typis Pauli Brodard.